Germ.
e 917.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft




A. Germ. urb. 795.

163

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/2
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

CHRISTIANI GOTLIBII SCHVVARZII

COM. PAL. CAES. ET IN ACAD. ALTORF. P. P.

EXERCITATIO ACADEMICA

*DE*

# BVTIGVLARIIS

## PRAECIPVE IIS QVI NORIMBERGAE OLIM FLORVERVNT

EX ANTIQVITATIBVS GERMANICIS ET FRANCICIS

ILLVSTRATA

ET AVCTORITATE VETERVM DIPLOMATVM SCRIPTORVMQVE CONFIRMATA.

---

EXCVDIT IOD. GVIL. KOHLESIVS ACAD. ALTORF. TYPOGR.

A. R. S. CIƆIƆCCXXIIII.

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/3
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/4
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

## *Q. D. B. V.*

### I.

IAm diu uiri eruditi in explicandis Graecorum Romanorumque antiquitatibus operam, neque inutilem, neque iniucundam, poſuerunt. Quis uero neget, nos tanto maiore cum iucunditate pariter atque utilitate uerſari poſſe in excutiendis cognoſcendisque Germaniae uetuſtis monimentis; quanto plus eiusmodi ſtudium ad res antiquas communis patriae noſtrae illuſtrandas conferre poteſt? Certe, ſi pertinet ad partem doctrinae humanioris, intelligere, quinam apud Graecos *Areopagitae*, ἄρχοντες, θεσμοθέται, λογισταὶ, κ. τ. λ. apud Romanos uero, *Dictatores*, *Conſules*, *Praetores*, *Aediles*, *Quaeſtores*, *Tribuni plebis*, aliique, appellari conſueuerint; aeque decebit, noſſe, quos Germani iam olim uocarint, u.g. *Grafiones*, *Truchſeſſios*, *Mareſchalcos*, *Scultetos*, *Ammannos*, et quae ſunt ſexcenta alia eius generis nomina. In his cum etiam nomen BVTICVLARIORVM identidem occurrat, tanto magis in animum induxi, huius ipſius nominis atque officii rationes haud ubiuis obuias indagare, et, quantum fieri poteſt, in praeſenti exercitatione explicare; quanto ſaepius etiam in antiquis documentis, ſimili quadam ratione, BVTIGVLARIORVM, ſiue BVTIGLIARIORVM NORIMBERGENSIVM fit mentio. *Prooemium.*

### II.

*Varia nominis Buticularii ſcribendi ratio.*

Primum uero id monendum duxi, nomen hoc, de quo disquirimus, non una ratione ſcriptum reperiri. In Francicorum Regum diplomatibus ut plurimum dicuntur BVTICVLARII. Sic e. g. in literis Philippi I, Regis, anno CIↃCVI datis, apud Mabillonium, *de re diplomatica, p.* 593, dicitur: *Pa-*

*ganus Aurelianenſis* BVTICVLARIVS. Mitto nunc reliqua documenta, infra *Sect. VI*, excitanda. Contra uero, in antiquis documentis rerum Norimbergenſium, quae paſſim in hac exercitatione, et ſigillatim in *Mantiſſa*, exhibebo, nomen hoc uarie ſcribitur: modo BVTIGVLARIVS, uel geminata litera T, BVTTIGVLARIVS; modo, extruſa uocali V, BVTTIGLARIVS; modo BVTTIGELARIVS; modo BVTTVGLARIVS; alibi BVTTIGLIARIVS; aliquando BVTTVGLERVS; itemque PVTIGLARIVS; Germanice, Butigler. In Auentini Annalibus Boiorum, *Lib. VII*, *c.* 4, *§.* 22, prorſus corrupte ſcribitur: BVTRVGLERIVS. Haud ſecus puto, in quodam diplomate Philippi II, Regis Galliae, per errorem typographi nomen BVTRICVLARII corrupte ſcribi; *(a)* cum alibi in eiusdem Regis literis ubique BVTICVLARIVS exſcribatur. Ceterum, haud nobis uitio datum iri putamus, ſi, in iſta ſcripturae uarietate, nos etiam forte uarias nominis *Butigularii* ſcribendi rationes ſequamur.

III.

*Quae ſit origo uocis buticularii?*

Non intempeſtiuum fuerit, quantum poterit fieri, primum uocis *Buticularii* origines excutere, ut notionem eius eo facilius aſſequamur. Bene ſe habet, quod Gerh. Io. Voſſius *(b)* tradit, nomen *buticularii*, dici a *buticula*, uel *buticella*; quo quidem, ex uſu medii aeui, genus uaſis denotatur. Quae uox *(buticula)* occurrit in ſic dicta *charta plenariae ſecuritatis*, quam Briſſonius, *de Formulis*, *Cap. V*, refert; et quam denuo iisdem characteribus ex uetuſta charta corticea aeri curauit incidi Mabillonius, *de re diplom. in Supplement. p.* 90. Taceo nunc loca ex Caroli M. *Capitulari de uillis*, ex *Chronico Fontanellenſi*, ex *Hincmaro Remenſi*, itemque ex *Anaſtaſio*, iam a Cangio in *Gloſſario med. Latinit.* excitata; niſi unum hunc ex

(*a*) Vid. Teſtamentum Philippi Auguſti, Regis Franciae, ituri in Terram ſanctam, Pariſ. A. 1190 conſcriptum; apud Leibnitium, *in Cod. Diplom. Iur. Gent. P. I. p.* 4.

(*b*) G. I. Voſſius, *Lib. II*, *cap.* 3, *de uitiis ſermonis.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id365356093/6 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

ex uetere *Precaria*, eodem Cangio teſte, afferendum duxerim: *Ad opus Canonicorum*, BVTICVLAS *det duas plenas de optimo uino.* Vnde patet, *buticulam* fuiſſe uaſculum uino aliique liquori capiendo aptum. Sed et ipſum nomen *buticulae*, cum ſit *deminutiuum*, deſcendit a *butica*, uel *butina;* qua uoce itidem uas quoddam ſignificatur. Sic apud Papiam legitur: *obba, uaſis genus, butica.* Et apud Io. Damaſcenum, de Condimentis: *reponantur in butinam; ſic, ut mel citria plurimum excedat.* Haud ſecus, eodem Papia teſte, *buticus*, uel *butticus*, dictus eſt *cantharus*, *ſiue uas quoddam cum anſis.* Imo et haec uox *butica* uenit ex nomine *buta*, uel *butta*, uel *buttis*, uel *butto;* quo nomine uarie ſcripto flexoque, non niſi *dolia*, *cupae*, *uaſa uinaria*, et *lagenae maiores*, indicari conſueuerunt. Id quod Gloſſarum ueterum interpretes multis exemplis comprobant. Opinatur Voſſius, l. c. Romanos, Imperio Conſtantinopolin translato, accepiſſe hanc uocem a Graecis. Et certe Gloſſae Philoxeni, a Labbaeo editae, haec habent: *βέττις*, *Cupa*, *βέττιον*, *cupella*, *βέττις μεγάλη, ἥν τινες γαῦλον καλοῦσιν*, *cupa*, ſeu *uagna.* Sic Mauricius, *Lib.* X *Strateg. c.* 4: *Δεῖ βούτας γεμίζειν ὕδατος.* i. e. *oportet cupas*, *ſiue dolia*, *impleri aqua.* Praetermitto nunc alia loca, ex *Libris βασιλικῶν*, aliisque ſcriptoribus, afferenda. *(c)* Verum, huius ipſius uocis originem uidemur nobis inuenire in ipſa Germanorum lingua. Vox enim uernacula nobis, et adhuc uſitata eſt, die Butte/ uel Botte; qua ſaepius uas dorſuarium notatur; unde appellari coepit: der Buttner/ uel der Böttiger/ h. e. uietor, doliarius; quem alibi den Küffner uocant, a cupa, die Kuffe. *(d)* Teſtis eſt Andreas Fauynus, *(e)* utres etiam picatos, in quibus uina ſeruentur, et

 per

(c) Conf. Cuiacius *Lib. IX. Obſeruat. Cap.* 26, ad Legem *Vinaria Pandect. de Verborum ſignificatione.*

(d) Conf. Menage, *Origines de la langue Françoiſe*, ſub uoce *bouteille.*

(e) André Fayn, *Traitez des premiers Officiers de la Coronne de France, Chap. VIII.*

per auia loca portentur, a quibusdam Gallis dici *bouts. Inde boute, et bouts*, inquit, *les peaux de Cheure poiſſées et liées par le quatre pieds, dans les quelles les Trezeniers portent le Vin és monts Pyrenées, et aux Seuenes*, Boute *en François, en Latin* Vter, *et en Languedoc et Gascogne*, Outre. Vtrum uero etiam nomen *Butigliarii*, quod in Norimbergenſibus documentis frequenter occurrit, itidem a *buticula* ſit deriuandum, infra diſpiciemus.

IIII.

*Variae ſignificationes & interpretationes nominis* Buticularii.

Si igitur BVTTICVLARIVS, a *butticula* et *butta*, uaſis genere, nomen inuenit, iam exquiremus, quare et quomodo is ita proprie ſit appellatus? An uero credamus, ita proprie primum dictum eſſe artificem *buttarum*, i. e. cuparum et lagenarum? Certe, teſte Cangio, in Gloſſario Graeco, hac notione id nomen legitur apud Eſaiam Cyprium, *de proceſſione Spir. S. p.* 398. Ταῦτα πρὸς τȣ̀ς χαλκέας, βȣτικλαρίȣς, γȣναρίȣς, λέγε. i. e. *haec dicas fabris ſolariis, buticulariis, ſiue doliariis, et pellionibus.* Sed haec ſignificatio parum facit ad praeſens inſtitutum noſtrum. Neque illud nunc multum moramur, quod idem Cangius monet, *Buticularios* ſigillatim apud Normannos fuiſſe uocatos, *qui mercatorum uina deguſtarint, utrum proba ſint?* Goldaſtus (*f*) ubi ex Hincmari Rhemenſis ArchiEpiſcop. *Epiſtola III, cap. XXIII*, haec uerba inter alia affert: *Ad tres autem miniſteriales*, SENESCALCVM, BVTICVLARIVM, et COMITEM STABVLI, *ſecundum uniuscuiusque miniſterii qualitatem uel quantitatem, pertinebat. etc.* ibi, in notis margini allitis, *Seneſcalcum* interpretatur per *magiſtrum Curiae;* BVTICVLARIVM, per *Dapiferum*; et *Comitem ſtabuli*, per *Mareſchalcum.* Quae interpretatio autem nominis *Buticularii* omnino a uero aberrat. *Seneſcalci* enim in aula Regum Francicorum potius ſimul *dapiferi* erant. Sic Audulphus,

(*f*) Goldaſt. in *Prolegomenis ad Tom. III Conſtitut. Imperial.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/8
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

phus, qui in *Annalibus Francicis* Caroli M. *Seneſchalcus* audit; idem in *Annalibus Laureshamenſibus*, ad A. 786, nominatur *Regiae menſae Praepoſitus*. Et in *Chronico Morniacenſi, Lib. II*, expreſſe haec legimus: *Wilhelmus Dapifer, qui et Seneſchalcus appellatur.* Id bene etiam obſeruauit Claudius Falcetus: (g) *Il eſt bien certain*, inquit, *par les Chartes, portans le nom des premiers Roys de la familie de Capet, que Seneſcallus et Dapifer, eſt tout un.* Contra, in tot aliis diplomatibus Regum Francorum, quae paullo poſt, (*Sect. VI,*) commemorabimus, *Buticularius* a *Dapifero* diſertis uerbis diſtinguitur. Generatim uero et proprie *buticularii* nomen ibi non deſignauit, niſi *pincernam*, uel *pocillatorem*, ſiue eum, cui *potus cura* demandata eſt; et qui potus miniſtrandi cauſſa tractat *buticulas*, i. e, pocula, aut cupas, et uaſa uinaria. Recte enim ſcribit Schilterus (*h*): *Buticularius erat pincerna. Hinc Gallis hodieque Boutellierie; Italis, Bottigliaria,* Kellerey; et *bouteille, Gallis,* eine Flaſche. Exinde uero euenit, ut in aula primorum Germaniae Imperatorum, itemque ueterum Galliae Regum, ex maioribus *officialibus Palatii* ille potiſſimum nomen *buticularii* retulerit, qui alibi *pincerna* appellatur. Sic u. g. ubi Hincmarus (*i*) generatim docuerat, poſt *Aprociſarium*, et *ſummum Cancellarium*, ſacrum palatium per hos miniſtros diſpoſitum fuiſſe: per *Camerarium* uidelicet, et *Comitem palatii*, *Seneſcalcum*, *Buticularium*, *Comitem Stabuli*, *Manſionarium*, *Venatores principales quatuor*, *Falconarium unum*; poſtea, *Cap. XXIII*, haec ſubiicit: *Ad tres autem miniſteriales, Seneſcalcum, Buticularium, et Comitem Stabuli, ſecundum uniuscuiusque miniſterii qualitatem uel quantitatem, pertinebat, ut cum communi conſenſu, de ſuo quisque miniſterio, admonendi non eſſent ſegnes, ut, quanto eius*

(*g*) Claude Fauchet, *Origines des dignités de France*, *Chap. X.*
(*h*) Schilterus de *Libertate Eccleſ. Germ. Lib. II, c. 7.*
(*i*) Hincmarus, *Epiſt. III, c. XVI.*

*eius eſſe potuiſſet, omnes actores Regis praeſcirent, ubi uel ubi Rex, illo uel illo tempore, tanto uel tanto ſpatio, manere debuiſſet, propter adductionem, uel praeparationem, ne forte tarde ſcientes, dum inopportuno tempore, uel cum nimia feſtinatione, exiretur, familia regalis per negligentiam ſine neceſſitate opprimeretur. Quae uidelicet cura, quamquam ad* BVTICVLARIVM, *uel ad Comitem ſtabuli, pertineret; maxima tamen cura ad Seneſcalcum reſpiciebat, eo quod omnia cetera, praeter* **potus**, *et uictus caballorum, ad eundem Seneſcalcum reſpiceret.* Ex quibus uerbis haud aegre intelligere licet, quemadmodum cura caballorum ad *Mareſcalcum* pertinuerit, ita curam *potus* potiſſimum *Buticulario* fuiſſe attributam. Sed multo luculentius oſtendit Hariulfus, *(k)* BVTICVLARII et PINCERNAE nomen unum idemque fuiſſe. Primum enim, *Galterus*, inquit, *Miles, filius Hugonis,* **Regis Buticularii.** Paullo poſt ait: *Quidam miles, nomine Galterus, filius Hugonis* **Pincernae Regis.** Sed non eſt, cur plura conquiramus teſtimonia, cum ipſe LVDOVICVS Bauarus, Imperator, adhuc ſuo aeuo *Buticularium* per *Pocillatorem* interpretatus ſit. In Diplomate enim, quo idem Imperator anno CIƆCCCXXXVIIII Reinoldum II, ex Comite Gelriae creauit Ducem, inter alia, haec legimus: *Inſuper ad maiorem dicti Ducatus et Principatus ſplendorem, aſſignamus ipſi,* **iuxta morem Imperii**, *quatuor officiarios infra nominandos, et eorum heredes: uidelicet, Iacobum van Myrlaer,* **Oeconomum**; *Euerardum van Wylp,* **Mareſcalcum**; *Theodoricum van Lienden,* BVTICVLARIVM, *ſeu* POCILLATOREM; *et Guilelmum van Brouchyſen,* **Camerarium.** *(l)*

V.

Atque adeo ratione propriae et generalis notionis nomen *Buticu-*

(*k*) Hariulfus, *Lib. IV Chronici Centulenſis*, *cap.* 22. Vid. Cangii Gloſſar. Lat ſub uoce: *Pincerna.*
(*l*) Vid. Leibnitii *Cod. Iur. Gent. P. I, p.* 151, *n. LXXVIII.*

*Alia nomina Buticularii.*

*Buticularii*, uti iam innui, reſpondet nomini Latino *Pincernae*, *Pocillatoris*, aut *Cellarii*; Germanico, Schencken / oder Kellerer. Haec et quaedam alia complectitur Dn. de Ludvvig: *(m)* das Wort *butticularius* iſt von einem Bott / oder Topff; daher Bottlein / oder *bouteille*, gekommen. Der Nahme *Scanzio*, oder *Eſchanzon*, vom Schencken; *Cellarius*, vom Keller; und endlich *Pincerna*, vom Griechiſchen / πίνειν κιρνᾷν, oder Geträncke miſchen. Similia legimus apud Goldaſtum: *(n) Pincerna*, *Pocillator*, *Cellarius*, *Scanzio*, *Germanice* Schenck; *unde* Erzſchenck / Oberſte Schenck / Erſte Schenck / ἀρχιοινοχόος, *Caſaub.* Exercit. 13 ad Annal. Baron. Diatr. 19. *Antiquis* Butticularius, *Buttilier*, *a* butta, *quae cupam*, *Kopff*, *ſeu Scyphum*, *notat. Franc. Pithoeus*, *in* Gloſſar. rer. et uerb. obſcur. in Capitular. *Meurſius*, *in* Gloſſar. mixobarbar. *Bignonius*, *in* Not. in Marculphi Formul. Lib. I, c. 25. *Buſaeus*, *in* Not. ad Hincmari Epiſt. 3, c. 23. *Lindenbrog. in* Gloſſar. legum antiqu. *Nec non Cellerarius*, *uel Cellarius*, Keller / *Oeconomus*, *Praefectus Cellae uinariae et potuum aliorum. Balbus*, in Catholico: *Noſtris tamen moribus*, inquit, *officium Oeconomi*, Haus=Hofmeiſter / *tam in culinae*, *quam cellae*, *procuratione occupatur in aula*, *ut et Butticularii et Cellarii in Monaſteriis.*

VI.

*De Buticulariis Franciae.*

Equidem mecum conſtitui, potiſſimum munia *Butigulariorum Norimbergenſium* deſcribere. Mihi tamen harum rerum curioſos haud aegre condonaturos puto, ſi de *Buticulariis Franciae* non nihil praemiſero. Quamuis enim utriusque generis rationes non parum a ſe inuicem diuerſas fuiſſe ſciamus: fuere tamen, qui *Butigulariorum Norimbergenſium* quaedam iura atque munia ex hiſtoria *Buticulariorum Franciae* explicari,

B aut

(m) *Vid. Comment. ad A. B. Part. II, p. 740.*

(n) Vid. not. ad Goldaſtum, de *Regni Bohemiae Iuribus ac Priuilegiis, T. I, cap. VIII, p. 419, recent. edit.*

aut illuſtrari poſſe, exiſtimarint. Quam opinionem in medio a nobis relictam ad arbitrium aliorum lubentiſſime conferimus. Interim de illis ipſis *Buticulariis*, qui inter praecipuos Regum Franciae officiales numerati ſunt, pauca nunc commentabimur, et quendam quaſi catalogum eorum, quorum nomina nobis forte in legendis ſcriptoribus occurrerunt, contexemus. Equidem, iam in Caroli Magni *Capitul. de uillis ſuis*, inter eius *miniſteriales*, fit mentio Buticularii; ubi is quidem coniungitur cum *Seneſcalco.* (o) Praeterea, in *Appendice III ad Capitularia Caroli et Ludouici, Imperatorum, n. VI*, nominatur ODO BVTICVLARIVS, *qui de foreſte ſua interrogandus* ibi dicitur. (p) Alias quidem ii, qui potum miniſtrarunt Imperatori et Regi, etiam magis uulgari nomine *Pincernae* dicti, aut alio modo deſignati ſunt. Ita haec legimus in Vita Caroli M. *Miſit Papa, Adrianus, Formoſum et Damaſium, una cum miſſis Domni Regis Caroli, Riculfo Diacono, et Eberhardo* MAGISTRO PINCERNARVM. (q) Et de Eppino, *Pincerna* Caroli M. ita cecinit Theodulphus, *Carm. Libr. III:*

*Adueniat Pincerna potens, Eppinus, et ipſe*
*Pulchraque uaſa manu, uinaque grata, uehat.*

Adhaec, anno DCCCLX, ſub Ludouico II, Hechideus dictus eſt Comes et *Pincerna primus.* (r) Similiter, ut ad exempla Imperatorum Saxonicae propaginis delabar, anno DCCCCXXXVI, ſub Ottone Magno, cum is Aquis Graneis inaugureretur, legimus, Herimannum praefuiſſe Pincernis. (s) Et, anno DCCCCLXXXV, ſub Otto-

(o) Vid. *Capitulare Caroli M. de uillis ſuis*, quod cum Epiſtolis Leonis III, Papae, ad Carolum M. ſcriptis, edidit Conringius; e quo uerba, quae huc ſpectant, in ſequenti *Sectione VII, pag.* 16, afferemus.

(p) Vid. Lindenbrog. in *Codice Legum antiquarum*, p. 909.

(q) Vid. Pithoei Scriptores hiſtoriae Francorum, p. 245.

(r) Vid. Mabillonius *de re diplom.* p. 533.

(s) Vid. Witichind. *Lib. II Annal. de Geſtis Saxon.* inter Maibomii *Scriptor. rer. Germ. T. I, p.* 642. Conf. Luitprandus, *Lib. V Rer. per Europ. geſtar. cap. I, inter Scriptores Reuberi.*

Ottone III, cum is Quedlinburgi Paſchatos ſacrum ſolenniter celebraret, inter ceteros miniſtrantes, Ducem HEZIL ad *Cellariam* miniſtraſſe, obſeruamus. *(t)* Equidem de his nomen BVTICVLARII uſurpatum non inuenimus; id tamen in hiſtoria ueterum Regum Galliae diu haeſit in Pincernis. Ita anno CIↃ LX, inter ceteros primarios Palatii Regii officiales, literis HENRICI I, Regis, ſimul ſubſcripſit BVTICVLARIVS. *(u) Balduinus Cancellarius*, *Rainaldus Camerarius*, *Albericus Coneſtabularius*, *Wilhelmus Seneſchalcus*, HVGO BVTICVLARIVS, *Robertus Coquus.* Praecipue autem ſub extrema huius Henrici tempora primum BVTICVLARIVM cum ceteris primariis palatii Regii miniſterialibus, literis regiis adſcribi coepiſſe, obſeruauit Mabillonius. Sub PHILIPPO I, Rege Galliae, commemoratur PAGANVS *de Aureliis*, *Buticularius*, A. CIↃ LXXXXV, et A. CIↃ C VI. *(x)* Praeter Paganum, ſub eodem Rege, commemorantur adhuc *Buticularii*, incertum, qui ex his primarii: ADELARDVS, A. M LXII. EGENVLFVS, RAINALDVS, A. M LXVII.

 WIDO,

(t) Auctore Ditmaro Merſeburg. *Lib. IIII*, inter Leibnitii Scriptores *rerum Brunſuicenſium*, *p.* 349.

(u) Mabillonius, *de re Diplom. p.* 120.

(x) Huius fit mentio in Diplomate Philippi I, Regis, cuius meminit Faynus, *de official. Coronae Francicae*, *p.* 265; quod ita ſubſcriptum legitur: *Et ut haec libertas et omnia firma et inconuulſa permaneant, memoriale iſtud fieri, Nominis ſui charactere et ſigillo ſignari, et praeſente propria manu ſua cruce ſancta corroborari praecepit; adſtantibus de palatio eius, quorum nomina ſubtitulata ſunt et ſigna. Signum Hugonis, Dapiferi, S. Gaſtonis de Piſſiaco, Conſtabularii. S.* PAGANI *de Aureliis*, BVTICVLARII. *S. Guidonis, Fratris Galearni. Actum Stampis, in Palatio, Menſe Martio, anno ab incarnat. milleſimo quater uigeſimo, decimo quinto, regni eius trigeſimo ſeptimo.* Eiusdem *Pagani* nomen occurrit in alio diplomate Philippi I, quo a. 1106, *Stampas* ueteres coenobio Mauriniacenſi attribuit: *adſtantibus de Palatio noſtro, quorum nomina ſubtitulata ſunt et ſigna Signum Hugonis de Creceio, Dapiferi noſtri. S. Gaſcionis de Piſſiaco, Conſtabularii. S.* PAGANI AVRELIANENSIS BVTICVLARII. *S. Galeranni, Camerarii. Actum Aurelianis, in Palatio, anno ab incarnatione Domini*, M.C VI, *anno uero regni noſtri* XLVI.

WIDO, A. MLXVII. HERVEVS, A. MLXXV, et MLXXIX *(y)* Sub LVDOVICO VI, qui *Craſſus* cognominatus eſt, floruit GILBERTVS *Buticularius*, qui et *Giſlebertus* ſcriptus reperitur; itemque WIDO, *Siluanactenſis* BVTICVLARIVS; *(z)* praeterea LVDOVICVS, A. CIↃCXXIX, et GVILELMVS, A. CIↃCXXXII, et CIↃCXXXVII. (1) Sub LVDOVICO VII, cui cognomen fuit *Iunio-*

(y) Vid. Mabillonius, *de re Diplom. p.* 121, qui *Paganum Buticularium* ibi praetermiſit.

(z) Gilberti ſ. Giliberti, *Buticularii* nomen inuenitur in ſubſcriptione literarum Ludouici VI, Regis Galliae, quibus *Stampas* ueteres Coenobio Mauriniacenſi attributas confirmauit. *Actum Stampis in Palatio publice, anno incarnati Verbi* MCXII, *anno uero conſecrationis noſtrae* IV, *praeſentibus ac teſtimonium ueritatis perhibentibus, quorum nomina ſubtitulata ſunt et ſigna. S. Anſelli, tunc temporis Dapiferi noſtri. S. Gilberti Buticularii noſtri. S. Guidonis, Camerarii noſtri. S. Hugonis, Conſtabularii noſtri. Stephanus, Cancellarius, relegendo ſubſcripſit.* Alius Diplomatis donationis ad S. Dionyſium ab eodem Rege, Ludouico VI, eodemque anno dati, meminit Schilterus, *de Libertate Eccleſiae Germ. Lib. II, c. VII*, §. 4, in quo itidem *Gilbertus Buticularius* commemoratur; ſed ibi, (neſcio, quare,) Guido, ſeu Wido, *Camerarius*, poſtponitur Hugoni, *Conſtabulario.* Sicuti uero ex duobus diplomatibus animaduertimus, anno 1112, *Buticularium* fuiſſe Gilbertum quendam; ita Mabillonius, *de re diplom. p.* 643, literas affert Ludouici VI, Regis, eodem anno ſcriptas, quarum haec clauſula eſt: *Signum Anſelli de Garlanda, tunc temporis Dapiferi noſtri. S. Hugonis, Conſtabularii noſtri.* S. WIDONIS *Siluanactenſis* BVTICVLARII *noſtri. S. Guidonis Wallerandi, Camerarii noſtri.* Porro nomen *Gilberti* uel *Giſelberti*, *Buticularii* repetitur anno 1120, in diplomate Ludouici VI, de *moneta Compendienſi*, in cuius quidem calce iſta legimus: *Datum Pariſius publice, anno incarnati Verbi* MCXX, *regni noſtri* XIII, *Adelaydis Reginae* VI. *Adſtantibus in Palatio noſtro, quorum nomina ſubtitulata ſunt et ſigna. Signum Stephani, Dapiferi.* S. GISLEBERTI BVTICVLARII. *S. Hugonis, Conſtabularii. S. Widdonis, Camerarii. Data per manum Stephani, Cancellarii.* Eodem prorſus modo et ordine nomina iſtorum officialium leguntur in diplomate Ludouici Craſſi, altero poſt anno, i. e. *anno incarnati Verbi* MCXXI, *regni* XIIII, *Adelhaidis, Reginae* VII, *dati*; quod excitat Claud. Fauchet, *l. c. Chap.* VII, *p.* 69, *b.*

(1) Vid. Mabillonius, *de re Diplom. p.* 121, et 122.

*Iunioris*, GVILELMVS (2) forte idem, qui ſub LVDOVICO VI fuerat, itemque GVIDO, (3) *Buticularii* nominantur. Sub

 PHI-

(2) Claude Fauchet, *Chap. X, p.* 31, item André Fauyn, *l. c. Chap. VIII, p.* 150, proferunt huius *Guilielmi*, ſeu *Willermi*, nomen ex charta Ludouici Iunioris, Regis, ciuibus Pariſienſibus, de *uenditione alicuius loci* data A. MCXLI, regni V, ubi haec nomina officialium extant: *Signum Radulphi, Viromandiorum Comitis, Dapiferi noſtri.* S. WILLERMI BVTICVLARII. *S. Matthaei, Camerarii. S. Matthaei, Conſtabularii; per manum Cardini, Cancellarii.* Contra, apud Mabillonium, *de re Dipl. p.* 643, in Charta Ludouici VII, pro *Monaſterio Ferrarienſi* de A. 1143, iſta nomina hoc ordine leguntur: *Actum publice apud Lorriacum, anno ab incarnat. Dom.* MCXLIII, *regni uero noſtri* VII; *adſtantibus in palatio noſtro, quorum nomina ſubtitulata ſunt et ſigna. Signum Radulphi, Viromandorum Comitis, Dapiferi noſtri. S. Matthei, Camerarii. S. Matthei, Conſtabularii.* S. GVILELMI BVTICVLARII. *Data per manum Cadulci, Cancellarii.* Fauchet, *l. c. p.* 30, meminit alius diplomatis, quo Ludouicus hic Iunior anno MCLXVIII, malas quasdam conſuetudines *Aurelianenſium* uetuerit; cui Theobaldus Dapifer; *Guilelmus Buticularius*; Renaldus, Camerarius, et Radulphus, Conſtabularius, ſubſcripſerint Circa idem fere tempus officialis Reginae, Iohannes, non *Buticularium*, ſed *Pincernam*, ſe ſcripſit, in diplomate Adelaidis Reginae, Matris Philippi, de *uilla S. Germani prope Compendium*; ubi in fine haec leguntur: *Actum publice Compendii, anno milleſimo centeſimo quinquageſimo tertio. Ludouicus, Dapifer, Reinaudus, Coquus Reginae,* Iohannes pincerna; *per manum Ebruini, Capellani.*

(3) Ipſius Ludouici VII, temporibus, praeter *Guilelmum Buticularium* inuenimus, identidem etiam quendam *Guidonem*, ſiue *Widonem*, eiusdem dignitatis nomine inſignitum, diplomatibus regiis ſubſcripſiſſe. Sic obſeruamus id in *Donatione*, facta templo Hieroſolymitano, et a Ludouico VII confirmata, apud Mabillonium, *de re diplom p.* 643: *Actum Loreaci, anno incarn. Dom.* MCLXIII, *adſtantibus in palatio noſtro, quorum appoſita ſunt nomina et ſigna. Signum Comitis Theobaldi, Dapiferi noſtri.* S. GVIDONIS BVTICVLARII. *S. Matthaei, Camerarii; Conſtabulario nullo. Data per manum Hugonis, Cancellarii.* Eadem nomina eodem ordine repetuntur in alio eiusdem Ludouici VII Diplomate, illo ipſo anno ſcripto, apud Mabillon. p. 644. In alio autem, quo idem Rex, anno MCLXVI *Hoſpitali Hieroſolymitano* conceſſit *Viueretum*; ſubiicitur Radulphus *Conſtabularius.* Rurſus aliam ſubſcriptionem de anno MCLXXIIII, affert Falcetus, *l. c. p.* 40, ubi eodem modo nomina officialium Regiorum recenſentur. Mabillonius tradit, hunc Guidonem iam inde ab A. MCLI, *Buticularium* nominari.

PHILIPPO II, quem *Auguſtum* cognominant Scriptores, itidem GVIDO, incertum, an qui ſub LVDOVICO VII, *Buticularii* uices obtinuit. (4) Praeterea, ſub LVDOVICO VIII, Rege Galliae, inuenio ROBERTVM, (5) itemque IOANNEM Acra-

(4) Id patet ex donatione Philippi Auguſti *Eremitis Cappenſibus* A. 1180 facta, et hunc in modum ſubſignata: *Actum anno incarnat. Dom.* MCLXXX, *regni noſtri anno* I, *apud Lorriacum, adſtantibus in palatio noſtro, quorum nomina ſuppoſita ſunt et ſigna. Signum Comitis Theobaldi, Dapiferi noſtri. S.* Guidonis, Buticularii. *S. Matthaei, Camerarii. S. Radulphi, Conſtabularii.* Vid. Mabillon. *l. c. p.* 644. Idem ſubſcribendi modus retentus eſt anno MCLXXXV, in *donatione Fratribus Templi facta*, et a Philippo Rege confirmata. Vid. Mabillon. *l. c.* Quo pertinet etiam aliud diploma de anno MCLXXXVI, apud eundem Mabillonium, *p.* 603. Item Diploma Philippi, de anno MCXC, apud Leibnitium, *in Cod. Iuris Gent. P. I, p.* 4. Idem nomen Guidonis *Buticularii*, occurrit in diplomate Philippi Auguſti de anno MCC, apud Falcetum, *p.* 31, *b. Praeſentem paginam ſigilli noſtri auctoritate, et regii nominis charactere inferius annotato confirmantes. Actum apud Loriacum, anno ab incarnat. Dom. M. ducenteſimo; regni noſtri anno uigeſimo primo. Adſtantibus in palatio noſtro, quorum nomina ſubſcripta ſunt et ſigna. Dapifero nullo:* S. GVIDONIS BVTICVLARII. *S. Matthaei, Camerarii. S. Draconis, Conſtabularii. Data, uacante Cancellaria.* Praeterea, in *Chronico* Alberici, ad annum MCCX, *p.* 454. commemoratur Ramaldus Comes, frater GVIDONIS, BVTICVLARII SILVANECTENSIS. Mabillonius tradit, *Guidonem Buticularium* minimum ad A. MCCXVIII, floruiſſe; anno uero MCCXXIV, nullum extitiſſe, qui hanc prouinciam ſuſtinuerit.

(5) Roberti Cortenaci, *Buticularii*, nomen affertur in diplomate quodam Ludouici VIII, cuius meminit Faynus, *L. III*, c. 3. p. 269. *Actum Pariſius, anno Domini milleſimo ducenteſimo uigeſimo octauo, regni noſtri ſecundo; adſtantibus in Palatio noſtro, quorum nomina et ſigna hic apponuntur. S.* ROBERTI BVTICVLARII. *S. Bartholomaei Cubicularii. S. Mathei Conſtabularii. Datum, uacante Cancellaria.* Caſp. Barthius, in *Animaduerſ. ad Guil. Britonem*, *p.* 221, hanc ſubſcriptiotionem de anno MCCXXX, ex monimentis Cluniacenſibus affert. *Actum Pariſiis, adſtantibus in Palatio noſtro, quorum nomina ſuppoſita ſunt et ſigna. Dapifero nullo. Signum* ROBERTI BVTICVLARII. *S. Bartholomaei Camerarii. S. Matthaei Conſtabularii.* Sed et in *Chronico Alberici ad A. MCC XXX*, *p.* 537. commemoratur ROBERTVS de *Courtenarum* BVTICVLARIVS.

Acranum. (6) Equidem Mabillonius teſtatur, poſt haec tempora nullam *Buticularii* ceterorumque officialium Franciae, mentionem amplius factam eſſe in Diplomatum ſubſcriptione; Io. tamen Tilius, *Comment. de rebus Gallicis, Lib. II, p.* 165, adhuc quosdam recenſet *Buticularios*, qui ſub ſequentibus Regibus Francicis floruerunt; quem, ſi cui lubet, adire licet. Ceterum, illud adhuc ὡς ἐν παρέδῳ animaduerti, inprimis Comites Siluanactenſes (*Comtes de Senlis*) cum diu hoc munus geſſerint, non ſolum cognomen perpetuum, ſed ipſa etiam inſignia gentilitia, hinc retuliſſe; (7) Atque ita etiam *Archipincernam* Galliae, (*Grand Eſchanſon*) adhuc in ſuis inſignibus aulicis *buticulae*, ſiue cupae, ſignum geſtare ſolere. (8)

## VII.

Priusquam hoc argumentum de BVTICVLARIIS Palatii Regum Francicorum prorſus dimittam, non nihil adhuc de officio et iuribus illorum ſum allaturus. Hic dici non poteſt, quam ieiuni ſterilesque in hac re explicanda fuerint, qui tamen hoc argumentum de ſummis officiis et magiſtratibus ac Praefecturis Francorum quaſi ex inſtituto illuſtrandum pertractandumque ſibi ſumſerunt, u. g. Vincentius Lupanus, Claudius Falcetus, et Andreas Faynus. Faynus haec maxime habet: *Sa charge eſtoit dé preſenter la coupe au Roy, et auoir ſoing de bouteilles, c'eſt a dire du boire du Roy, dont il apris le nom*, h. e. *Buticularii munus eſſe*, Regi exhibere *buticulam*, ſeu poculum, et curam habere poculorum potusque Regis, unde nomen ſuum duxerit. Ex Hincmari loco citato intelligimus, primum generatim

*De officio et iuribus Buticulariorum Franciae.*

(6) Hunc ſummum a poculis Ludouico Regi A. 1270. propter iurisdictionem, quae officio coniuncta erat, fidem dediſſe, teſtatur Io. Tilius, *Comment. de rebus Gallicis, Lib. II. p.* 165.

(7) Vid Io. Tilius, *l.c. p.* 165. Claude Fauchet, *p.* 41. Andr. Fauyn, p. 152.

(8) Dn. de Ludvvig, ad A. B. *part. II, pag.* 711. Item Auctor libelli Gallici, *de l' Etat de la France, uol. I, p.* 51.

tim ad munus *Buticularii* pertinuiſſe, ut una cum ceteris miniſtris *ſacrum palatium diſpoſuerit*, et ut ſpeciatim cum *Seneſcalco*, et *Comite ſtabuli*, in tempore, *actores Regis*, qui res a Rege ſibi mandatas agebant, monuerit, quo de hoſpitio proſpicerent; ſigillatim uero, ut potus Regis curam habuerit. *Ex Capitulari Caroli M. de uillis ſuis* patet, *Seneſcalco* et *Buticulario* eam autoritatem attributam fuiſſe, ut non ſolum *Venatoribus* et *Falconariis*, aliisque miniſterialibus praeter maiores illos officiales in regio palatio aſſidue ſeruientibus; ſed etiam *iudicibus fiſcalibus*, qui iurisdictionem et curam exercuerunt in *fiſcis* et *proprietatibus* Regis, praefuerint, iisque nomine Regis et Reginae res ſuas cuique curandas iniungere potuerint. Ita enim ibi legimus, *Cap. XVI: Volumus, ut, quicquid nos, aut Regina, unicuique iudici ordinauerimus, aut miniſteriales noſtri, Seneſcalcus et* BVTICVLARIVS, *de uerbo noſtro, aut Reginae, ipſis Iudicibus ordinauerit, ad eorundem placitum, ſicut eis inſtitutum fuerit, impletum habeant. Et Cap. XLVII: Vt Venatores noſtri et Falconarii, uel reliqui miniſteriales, qui nobis in palatio aſſidue deſeruiunt, conſilium in uillis noſtris habeant, ſecundum quod nos, aut* Regina, *per literas iuſſerimus; quando ad aliquam utilitatem miſerimus, aut Siniſcalcus, et* BVTICVLARIVS, *de noſtro uerbo eis aliquid facere praeceperint.* Io. Tilius, *in Comment. de rebus Gallicis, Lib. II, p. 165*, de officio et iuribus *Buticularii* Regum Galliæ haec tradidit. *Singulare*, inquit, *ius taxandi et pendendi piſces habebat Lutetiae in cura domus ſuae; ut Parlamentum decreto iudicauit, ineunte Nouembri*, A. MCCXLII. *Centenos ſolidos ex inſtitutione Regia ab unoquoque Antiſtite recens promoto percipiebat, cum fidem daret Regi, ut multis decretis edictum eſt. Aderat, et ſententiam in curia Parium Galliae iudiciisque eorum, et ratione officii praeſes alter erat in Pariſienſi rationario; cuius rei habetur edictum a Rege, Carolo VI, latum, VII Ianuarii, A. MCCCC.* Cangius, in *Gloſſario Latino*, ſub uoce, *Buticularius*

*cularius Franciae*, primum annotat, hunc unnum fuiſſe e quinque maioribus Palatii officialibus, qui literis et diplomatibus Regiis ſubſcripſerint, uel certe eorum interfuerint expeditioni. Poſtea, ex *Regeſto Ioannis de Sancto Iuſto*, iura *Buticularii* dignitati annexa recenſet, docetque, inter alia, *Buticulario* competiiſſe iuriſdictionem in tabernas diuerſorias. Deinde, quotiescunque Rex ſolennes feſtosque ritus celebrarit, *Buticularium* cantharum uinarium et craterem geſtare, atque miniſtrare debuiſſe. Praeterea, ubi inauguraretur Rex Rhemis, *Buticularium* debuiſſe habere in promtu certam copiam panis, uini, cerae, et fructuum, certumque numerum curruum, gallinarum, atque piſcium. Adhaec, ipſum ſub ſua poteſtate habuiſſe totius Galliae *Cereuiſiarios.* Tum pergit: *Le droit des hoſtieux de la bouteillerie: premierement au bois conciergerie.* &c. Quod uero paullo ante ex Io. Tilio attuli, *Buticulario Franciae* ab unoquoque Antiſtite ad dignitatem ſacram recens euecto certam pecuniae ſummam fuiſſe ſoluendam, (quae penſio *buticularia* uocabatur;) id Cangius, l. c. ex antiquo *Regeſto* pluribus explicat. *Hi ſunt*, inquit, *Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Abbates, & Abbatiſſae Regni Franciae, qui ſoluunt Domino Ioanni d' Acre*, Buticulario Franciae, *quilibet* 100 *ſolidos Pariſienſes, quotiescunque creati erant, ratione* buticulariae Franciae. etc. Idem, ſub titulo *monaſteriorum regalium: Praeterea*, inquit, *Abbates Regales, perinde ac Epiſcopi, Buticulario Franciae centum ſolidos exſoluere tenebantur, cum Abbatialis dignitatis confirmationem ab Rege expetebant, uel forte cum eidem fidelitatis praeſtabant ſacramentum.* Eodem loco obſeruat, identidem accidiſſe, ut Abbates quidam huic penſioni reclamarint, et opem Pontificis implorarint. Cui rei argumento eſt Epiſtola CLXII Alexandri III, P. M. (qui, cenſente Baronio, mortuus eſt anno CIↃCLXXXI;) qua Abbatem S. Genouefae ab hoc onere liberare conatus eſt.

 Sed,

Sed, en ipſam Epiſtolam: *Alexander*, *Epiſcopus*, *ſeruus ſeruorum DEI*, *cariſſimo in Chriſto filio*, *Ludouico*, *illuſtri Francorum Regi*, *ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Dilectus filius noſter*, *Abbas S. Genouefae*, *qui*, *ſicut nouus paſtor et diligens Procurator circa Eccleſiae ſuae commoda ſatagit omnimodis et intendit*, *transmiſſa nobis inſinuatione monſtrauit*, *quod dilectus filius noſter*, *G. nobilis uir*, BVTICVLARIVS *tuus*, *ſub obtentu cuiusdam conſuetudinis*, *quam in omnibus ſe aſſerit Abbatiis regalibus obtinere*, *quaedam ab eo exigit*, *quae praedictus Abbas ab Eccleſia illa deberi nullatenus recognoſcit. Vnde*, *quoniam Celſitudinis tuae Serenitas conſueuit Eccleſiarum libertates illaeſas et integras conſeruare*, *clementiam tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus*, *monemus*, *et exhortamur*, *in Domino*, *quatenus*, *ſi ita eſt*, *eandem Eccleſiam noua et indebita exactione grauari non ſinas*, *et praedictum Buticularium tuum ab hac intentione reuoces omnimodis et reducas. Datum Senonis*, *XIV Cal. Ian.* etc.

## VIII.

*Non nihil de* Botelleriis *aulae quondam Regis Maioricae.*

Fateor, non pauca in hac hiſtoria *Buticulariorum Franciae* adhuc tenebris circumfuſa uideri; cum inprimis nomina, et iura atque officia *Buticulariorum* primariorum et ſecundariorum haud facile ubique diſcernere liceat. Interim his acquieſcemus, et, pace Lectorum, duntaxat adhuc ex *Legibus Palatinis*, quas Iacobus II, Rex Maioricae, Familiae ſuae miniſtrisque anno CIↃ CCCXXXVII praeſcripſerat, (9) non nihil de illius aulae *Bo-*

(9) Leges has Palatinas exhibent Auctores *Actorum ſanctorum*, *Menſis Iunii*, *Tomo III*, ſub initium; ubi de nomine *Botellerii* Daniel Papebrochius, in notis additis, haec commentatur, unde eo magis conuenientiam quandam huius cum *Buticulario Franciae* intelligere poſſumus. Botellerius, *inquit*, *a Botella*, *ſiue Buticula*; *diminutiue ex Bota*; *uas*, *poculum. Teutonice* Pot; *ſed ſignificatione magis generica*, *qua etiam Olla ſignificatur*: *cum* Bota, bouteille, *Francis proprie pertineat ad potum.*

*Botellerio*, et *Sub-botelleriis*, et *inferioribus Botelleriis*, afferemus. Erat uidelicet *Botellerius* in iſta aula fere idem, qui *Buticularius* in aula Regum Franciae. Conſtitutum uero erat, ut maior ille *Botellerius* ipſe uinum, aquam, et panem, praeberet *Scutiferis*, ea illaturis menſae Regiae, praeguſtatis antea ſingulis; itemque ut uaſa ſeruaret, et curaret panes atque uina emi; totique Curiae Regiae de uino proſpiceret; praeterea Regem in itinere praecederet; et haberet idoneum *Sub-Bottellerium*, qui abſentis uices obiret. Erant denique in eadem aula *communes*, ſiue *inferiores*, *Botellerii*, Botelleriis oris Regis ſubditi, qui panem, uinum, et aquam, domeſticis Regiis ſubminiſtrarent. Nihil nunc dico de aliis miniſtrantibus, et *Aquaeductoribus Botelleriae Regiae* deſtinatis. Haec enim et cetera ex dictis ipſis Legibus Palatinis copioſius poſſunt cognoſci.

## VIIII.

*Generalis deſcriptio Butiglarii Norimbergenſis.*

Sed haec ſufficiant in praeſens de BVTICVLARIIS exteris; iam propius ad inſtitutum progrediamur, ſigillatim de BVTIGVLARIIS NORIMBERGENSIBVS dicturi. Vt uero totam rem primum uelut in compendium mittamus, ſequentem deſcriptionem, quam deinde per ſingulas partes illuſtrare annitemur, praemittendam duximus. BVTIGVLARIVS nempe NORIMBERGENSIS, quantum ex documentis antiquis hucusque conſtat, fuit *miniſterialis Imperatoris et Imperii*, *una cum aliis quibusdam miniſterialibus*, *ſiue officialibus*, *moderandis rebus in tractu Norimbergenſi praefectus*, *ita quidem*, *ut hic eximia polluerit poteſtate iudiciaria*, *ſigillatim uero Magiſtris mellicidii et foreſti Norimbergenſis ius dixerit*, *itemque reditus certos Imperatori et Imperio prouenientes collegerit*, *ac*, *praeter alia*, *aliquando iuſſu Imperatoris res extra ordinem expedierit*.

## X.

*Butiglarius Norimbergenſis fuit miniſterialis Imperatoris et Imperii.*

Primum itaque conſtat, euidentiſſimisque teſtimoniis comprobatur, *Butigularium Norimbergenſem* fuiſſe miniſterialem Imperatoris, ab eodemque ipſo eſſe conſtitutum. Ita, in *Docum. III Mantiſſae*, anno cIↃ CCXXXXVI, Luitpoldus diſertis uerbis uocatur: IMPERATORIAE MAIESTATIS BVTTIGELARIVS. Porro Albertus I, in diplomate, quo, A. cIↃ CC LXXXXVIII, praefecturam ſiluae *Ottoni Forſtmeiſter* conceſſit, uocat Butiglarium Norimbergenſem, SVVM BVTIGLARIVM. *Nec coram aliquo Iudicum*, inquit, *niſi coram* BVTIGLARIO NOSTRO *apud Nurenberg, qui tunc pro tempore fuerit, iuſtitiam obſeruabit.* Vid. *Mantiſſ. Doc. VIII.* Eodem prorſus modo loquitur Henricus VII, Imp. in literis anno cIↃ CCC VIIII datis. Conf. *Mantiſſ. Doc. VII et VIIII.* Neſcio, annon huc quoque referam formulam donationis ab Vlrico de Kunigſtein *monialibus in Valle Angelica*, quae tribus milliaribus Norimberga abeſt, anno M CC XL factae; in qua Butigliarius inter *miniſteriales Imperii* numeratur? *Vlricus*, inquit, *Miniſterialis de Kunegeſtein, uniuerſis Chriſti fidelibus praeſentem litteram inſpecturis ſalutem. —. Teſtes ſunt, qui praefatae donationi interfuerunt*, MINISTERIALES IMPERII: *ſcilicet Luipoldus de Grundelach, Ornandus de Eſchenaue, Rupertus de Nietſteine, Albertus de Rugerſtorff*, MARQVARDVS BVTTIGELARIVS DE NORIMBERC, *Bertoldus Scultetus de Norimberc.* Neque uero exiſtimandum eſt, *Butiglarium Norimbergenſem* pertinuiſſe ad ordinarios miniſtros, ſiue officiales aulae Imperatoriae et Regiae, qui ſemper præſto fuerint ipſis Imperatoribus, inter quos etiam eſt *Pincerna.* Cuiusmodi *miniſterialium*, ſiue *officiariorum*, praeter ceteros, iam mentionem fecit VVippo. (10) *Similiter in diſpoſitione* **curiali**, inquit, *quem Rex Maiorem domus ſtatue-*

(10) Wippo, in *uita Chunradi Salici*, inter Scriptores rerum Germanicarum a Piſtorio editarum, *p.* 428. Dicuntur alias Kayſerl. *Hof*-Aemter; in Aur. Bull. *Cap. XXVII*, uocantur *quotidiani miniſtri Imperialis uel Regalis Curiae.* Atque hi utique diſtincti ſunt ab *Archi-Officialibus*, et *hereditariis* S. R. I. *Sub-Officialibus.*

*tueret*, *quos cubiculariorum Magiſtros*, *quos infertores*, *et* PINCERNAS, *et reliquos* OFFICIARIOS *ordinaret*, *diu non eſt ſuperſedendum ; cum illud breuiter dicere poſſim*, *quod nullius anteceſſoris ſui* MINISTERIA *aptius et honorificentius prouiſa memini*, *uel legi.* Equidem hunc *Butigularium* ad aulicos eosque ordinarios Imperatoris *miniſteriales* referendum eſſe, arbitratus uidetur D. Herelius, inclytae Reipublicae Norimbergenſis quondam Conſiliarius; de cuius opinione Dietherrus haec tradidit: Der *Butiglarius* in Nürnberg habe ſeinen Namen nicht von dem Zeidel-Amt; ſondern er ſey ein Kayſerlicher Mund-Schenck geweſen / dem das Zeidel-Amt gleichſam zur Zugabe ſey verliehen worden : denn das Wort habe ſeine *deriuation* von dem Franzöſiſchen *Bouteille* / welches eine Flaſche heiſſet. (11) At enimuero, uix idoneo conſtabit argumento, quendam ex *Butigulariis Norimbergenſibus*, Imperatores modo in his, modo in aliis palatiis, pro more illius temporis commorantes, (12) ſecutum eſſe; cum potius *Butiglarii* haeſerint Norimbergae, ſi quando Imperatores alibi degerunt, ſuasque habuerunt curias regales. Annon uero iidem Imperatoribus in Caſtro Norico hacque prouincia commorantibus miniſtrare, uicesque pincernae praeſtare potuerint, alia forte quaeſtio eſſe queat? Atque adeo, neque ad hereditarios Imperii *Sub-Officiales* (13) referre licebit *Butigularios Norimbergenſes*; pro-

 pterea,

(11) Vid. Continuat. *Theſauri Practici Beſoldi*, ſub uoce : Zeidel-Gericht. Item, Michael Praun von Adlichen Geſchlechten / *p.* 34.

(12) De hac conſuetudine Caeſarum, quae alias ex Hiſtoria eſt nota, ita ſcribit Adlzreiter, *Annal. Boicor. P. II, Lib. VII*, §. 85, *Caeſares*, *praeſertim Saxonici et Sueuici ſanguinis*, *ante Ludouici Bauari tempora*, *nullam fixam ſedem habuerunt*; *ſed domeſticis poſſeſſionibus heredum fidei commendatis*, *pro re nata in Vrbibus Imperii et Epiſcoporum domiciliis per uices et uelut in orbem Imperii negotiis operam dederunt. etc.*

(13) Dicuntur : des Reichs-Erb-Aemter / oder Reichs-Unter-Aemter / in quibus u. g. *Kolbii de Wartenberg* Pincernae, iam olim eminuerunt,

pterea, quod ex horum catalogo, quem infra ſuppeditabo, facile patet, hoc munus non uni aut certae familiae iure quodam hereditario fuiſſe annexum. Omnium minime autem prouincia *Butigularii Norimbergenſis* ſpectauit ad *archi-officia Imperii*; (14) id quod ex iis, quae ad iura et officia horum *Butigulariorum* pertinuiſſe demonſtrabimus, facile intelligetur. Non itaque aliis hi *Butigularii* ſunt annumerandi, niſi iis *miniſterialibus* atque *officialibus*, qui iuſſu et auctoritate Imperatoris in prouinciis *fiſcalibus*, urbibus atque uillis Regiis, ſiue Imperialibus, iura et *regalia* Imperatoris adminiſtrarunt, et cenſus reditusque curarunt. De his adeo generatim bene Hertius, celebris Giſſenſium quondam Iurisconſultus: (15) *In locis Regalibus*, inquit, *loco Caeſaris, erant Aduocati*, Reichs-Voigte / Reichs-Schultheiſſen / Reichs-Cämmerer / *dicti; de quorum auctoritate et officio, Patrum quidem memoria, diſputatum fuit; hoc tamen ab omnibus conceditur*,

---

nuerunt; cum quibus etiam Pincernae de *Lutra*, de *Sepf*, de *Winterſtaedten*, et de *Limburg*, eadem propagine coniungi creduntur. Vid. Dn. de Ludvvig, ad *A. B. Comment. P. II*, *p.* 782. Equidem non nemo opinatur, *Butigliarium Norimbergenſem*, fuiſſe *Sub-officialem Archi-Pincernae Imperii*, inde usque ab aeuo Hezilonis, qui, teſte Ditmaro Merſeburgenſi, Ottoni IV, Imp. Quedlinburgi *miniſtrarit ad Cellariam*; eumque, poſt uarias Palatinorum officiorum alias mutationes, usque in XIIII ſaeculum manſiſſe: hucque ſigillatim uult referre *Pincernas de Reichenek*, (qui locus *Reicheneck* inter praefecturas Norimbergenſes hodie numeratur) quos Pincernas cum *Butigliariis Norimbergenſibus* eosdem fuiſſe putat. At enimuero ex *Pincernis de Reicheneck* non quisquam nobis hucusque occurrit, qui *Butigliarii Norimbergenſis* prouinciam obierit. Imo, in *Diplomate anni* 1246, quod in *Mantiſſa, n. III*, proferimus, inter teſtes alios, etiam ſine *pincernatus* elogio adſcriptus eſt *Vlricus de Reicheneke*. Quid multa? ſatis eſt, munus *Butigulariorum Norimbergenſium* non fuiſſe hereditarium.

(14) Videantur ea, quae Dn. Ludvvigius in Comment. ad *Aur. Bull. P. II*, *p.* 782, aliunde affert de S. R. I. Buticulario; von dem Reichs-Buttellien- oder Flaſchen-Meiſter.

(15) Hertius, in Diſſertatione *de origine et progreſſu ſpecialium Romano-Germanici Imperii Rerum publicarum*, § *VII*. Conferatur etiam Daniel Heiderus, von den alten Reichs-Vogteien.

*ceditur*, *Iudiciis praeſediſſe*, *rei nummariae*, *redituum*, *uectigalium*, *et aliorum iurium*, *ad Caeſarem ſpectantium*, *curam geſſiſſe*. Neque uero mirum nobis eſſe poteſt, quaedam officia huiusmodi officialium, ciuitatibus prouinciisque imperialibus praefectorum, aliquando ob aliquam ſimilitudinem rerum adminiſtrandarum, nomina cum miniſtris palatii, ſiue miniſterialibus Imperatorum aulicis, et cum hereditariis Imperii officialibus, geſſiſſe communia, ut e. g. alicubi quidam dicerentur *Mareſchalci* (16) *Camerarii* (17) aut *Cellarii*: cum conſtet, etiam officia *miniſterialium* Principum, (18) Monaſteriorum, (19) imo et

(16) Sic u. g inuenimus dictum *Marſchalcum* de Hagenouia, in *diplomate Friderici II*, *Imperatoris*, *A.* 1215, dati; in *Documentis Monaſteriorum Wirtemberg*. p. 553. Conferatur Praefatio Hieronymi Gebvvileri, *Syngrammati de exemplis grauiſſimae ultionis ſacrilegii* praemiſſa; in qua conditio et ſtatus priſtinus adminiſtrandae rei publicae Ciuitatis imperialis Hagenouienſis luculenter deſcribitur.

(17) Sic u. g. appellabatur *Camerarius de Wormatia*. Vid. V. CL. Ioannis T. I *rerum Moguntiae*, p. 887. A quo etiam, *l. c. p.* 548, ex monimento antiquo A. 1135, ſequentes officiales Ciuitatis Moguntiae recenſentur: *Praefectus Ciuitatis*, Arnoldus Comes de Luzenburck; Embricho, *Vice-Dominus*; Menigo, *Camerarius Ciuitatis*; Dudo, *Scultetus*. Neſcio, an non huc etiam pertineat *Dapifer de Rotenburg*, cuius aliquoties in antiquis literis fit mentio?

(18) Bene obſeruauit illuſtriſſimus Auctor *Commentationis de hereditariis prouinciarum Auſtriacarum officialibus*, p. 259, ſicut in permultis aliis, in Principum Germaniae regimine, magnam cum ipſius Imperii adminiſtratione ſimilitudinem liceat deprehendere; ita quoque in hiſce officiis, Principes Imperii, Imperatores noſtros uideri imitatos: hinc adeo paſſim in hereditariis Germaniae *Ducatibus Principatibus*que animaduerti, huius generis dari *miniſteriales*, ſi non omnes, tamen aliquos, u. g. *Mareſcallos*, *Camurarios*, *Pincernas*, *Dapiferos*.

(19) Eos, qui in *Monaſteriis* praecipuas *Praepoſituras* obtinent, exercentque, iam ab antiquo tempore etiam *miniſteriales* audiiſſe, et ad exemplum *miniſterialium* regiorum et prouincialium, ſimilibus nominibus a ſe inuicem diſtinctos fuiſſe, innumeris exemplis teſtimoniisque comprobari poteſt. Sic e. g. Adalardus, Abbas Corbeienſis, *in ſtatutis Monaſt. Corbeienſ. Lib. I cap.* 1. *Et ipſi Miniſteriales*, inquit, *habent inde ſinguli breues ſuos*, *id eſt*, *Camerarius*, *Cellarius*, *et Seneſcalcus*, *etc.* Vid. Cangius, in *Gloſſ. Lat.*

et Nobilium,(20) ac Ciuitatum prouincialium, ſiue municipalium, ſimilibus nominibus identidem deſignari conſueuiſſe? (21)

## XI.

*De ceteris officialibus imperialibus tractus Norimbergenſis.*

Fuiſſe, praeter *Butigularium*, etiam alios Imperatoris et Imperii Officiales, quorum quique, pro ſuis partibus, moderandis rebus *tractus Norimbergenſis* latius ſic dicti, et ſigillatim *regalibus* Imperatoris ibi curandis, olim praefuerint, iam indicaui ſupra. Horum quidam ex antiquis documentis paſſim in hac exercitatione nominantur. Huc praeterea et referre poſſis *Venatorem*, *Magiſtrum monetae*, atque *Teloniarium.* A talium uero munere quemadmodum prouincia *Butigularii* diſtincta fuerit, ex iis, quae deinceps afferentur, forte intelligetur. Speciminis loco, nunc prouoco ad Diploma Rudolphi I, Imperatoris, anno CIↃ CC LXXXI datum, quo Imperator profitetur, ſe ab *Abbate et Conuentu Ebracenſi* certa bona in praedio Suobacenſi redemiſſe. (22) In medio hoc diplomate iſta uerba leguntur: *Pro ſolutione autem huiusmodi praedictis Abbati et Conuentui in eisdem terminis faciendo, Nos ipſis Nobiles Viros*, I. BVRGGRAVIVM DE NVRNBERG, *H. Comitem de Furſtenberg*, *W. Aduocatum de Dornberg*, *Herdegen de Grindela*, O. BVTTIGVLARIVM DE NVRNBERG, et BERTHOLDVM SCVLTETVM DE NVRENBERG, *noſtros conſtituimus fideiuſſores.* Videmus, hic diſtin-

(20) Ex Nobilium *miniſterialibus*, ſiue *clientibus*, deprehendimus etiam quosdam aliquando *Burggrauios*, *Mareſchalcos*, *Camerarios* et *Cellarios*, appellatos eſſe. Sic u. g. Iudex Dynaſtae (ein Adelicher Richter) uocatur *Burggrav*, in Iure Germanico Auſtriaci Ducatus circa Annum 1190. Welch Herr eine Burg hat / oder ein Hauß / und da ſoll er ſeinen Burggrafen auſſetzen. Vid. Dn. Luduuigius, T. IV *Reliqu. Diplom. p. 21, et p. 299.*

(21) Dantur enim etiam in his aliquando, qui uocantur *Camerarii*, *Cellarii*, ſiue *Cellariae Praefecti*, etc.

(22) Vid. *Mantiſſ. Doc. n. V.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/id365356093/26 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

diſtincte primo nominari *I. Burggrauium de Nurnberg*; deinde *O. Buttigliarium de Nurenberg*, et denique Bertholdum, *Sculteturn de Nurnberg*. Poſſent horum ſingulorum pariter, ac ceterorum *officialium*, iura atque officia diſtincta explicari, niſi haec opera a praeſenti inſtituto fere aliena, et alii occaſioni reſeruanda, uideretur. Qua de re nihil iam praeterea, niſi hoc unum, monendum duco, utique fieri potuiſſe, et re ipſa aliquando eueniſſe, ut, ex uoluntate et indulgentia Imperatorum, quaedam iſtiusmodi officia fuerint coniuncta, et in unam perſonam collata; quorum tamen plurima ſeorſum a certis perſonis eſſe adminiſtrata, obſeruamus.

## XII.

*Butigliario Norimbergenſi in tractu Norgouienſi inſignis competiit poteſtas iudiciaria.*

Reliquis igitur *officialibus* praetermiſſis, in praeſenti duntaxat *Butigliarii Norimbergenſis* muneris rationes explicare annitemur. Neque uero alias partes iurium eius atque officiorum iam attingemus, niſi, quas ex probatae antiquitatis documentis cognitas exploratasque habemus, ut et de ceteris facilior poſſit fieri coniectura, et ut alii, hoc qualicunque ſpecimine fortaſſe excitati, pluribus ueterum diplomatum teſtimoniis prolatis, huic Germanicae antiquitatis particulae adhuc maius in poſterum lumen affundant. Primum itaque prouoco ad duo inſignia Imperatorum priuilegia olim conceſſa *Abbatiae et Monaſterio Heilsbrunnenſi*, Ordini ac diſciplinae Ciſtercienſium adſcripto, et ad Schvvabachium amnem, medio fere itinere Norimbergam inter et Onoldinum, ſito: quorum priuilegiorum alterum datum eſt a Friderico II, Imperatore; alterum ab huius Imperatoris filio, Henrico VII, Rege Romanorum. Ex his autem ſequentia uerba attulit Dn. *Bachelbl de Gehag*, (23) cui horum documentorum et inſpicien-



(23) In Appendice modo citata von des Teutſchen Reichs-Staats Urkundlichen Nachrichten / bevorab die Reichs-Ertz-Amt-Männer betreffend; ubi ſigillatim *Struuianas* exhibet *literas* A. 1708 ad ſe datas, et ſuas, quas illis reſcripſit,

ciendorum, et deſcribendorum, facilis data fuit copia; ex priore quidem: FRIDERICVS, *Dei Gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus*, et *Rex Siciliae.* — — —. *Statuimus ex Decreto Principum et conſilio Curiae, ne quis in Curiis dilectorum Virorum de Halsprunen Placita uel Reiſas ſtatuere praeſumat.* — —. *Transgreſſores, quemcunque diem et locum* CVNRADVS, PVTIGLARIVS NOSTER DE NVRNBERG, *eis praefixerit, ibidem ad reſpondendum et ſatisfaciendum comparere non differant. Quod ſi non fecerint, ſciant, ſe proſcribendos, et predia ſua per dictum* CVNRADVM PVTIGLIARIVM NOSTRVM, *et* SVBDITOS SVOS, *diripienda, et omnia ad eos pertinentia ſententiae proſcriptionis ſubiicienda.* Ex altero diplomate haec uerba excitat: HENRICVS, D. G. R. R. S. A. — —. *Abbati in Halsprunen, et ſuo conuentui, inhibemus, ne alicui equum exhibere praeſumant, niſi in ſpeciali noſtra expeditione per* BVTTIGVLARIVM NOSTRVM DE NVRIMBERG *ab ipſis duxerimus requirendum.* —. *Datum apud Onolzbach*, A. D. 1227. Ex his teſtimoniis non poteſt non liquere, quanta fuerit *Butigularii Norimbergenſis* auctoritas, et quam eximia ille iura in tractu Norgouienſi exercuerit, atque executus ſit? Primum enim hinc intelligimus, inſignem et ſuperiorem quandam iuriſdictionem ei utique in hoc territorio competiiſſe, cum coram ipſo uiolatores mandatorum Imperatoris ad reſpondendum et ſatisfaciendum comparere oportuerit, ut non ſolum horum cauſſas, tanquam IVDEX, recognoſceret atque diiudicaret; ſed etiam poenas, ex ſententia ſua et iudicio irrogatas, armata manu exequeretur. Deinde, hinc apparet, huic *Buttigulario*, nomine Imperatoris, uelut ADVOCATI *Abbatiae Heilbrunnenſis* partes fuiſſe concreditas, ita, ut Imperator per eum non ſolum illud Coenobium ab aliorum iniuriis defendi iuſſerit; ſed etiam, quicquid idem Coenobium Imperatori et Imperio praeſtare debuit, non per alium, niſi per hunc ipſum *Buttigularium Norimbergenſem*

*genſem* uoluerit exigi. Quemadmodum enim aliunde conſtat, temporibus iam antiquioribus monaſteria ex propriis aerariis, praeter id, quod a *ſubditis* ipſorum exigebatur, pro expeditionum militarium ſumtibus, ſuam quoque partem contribuere debuiſſe; (24) ita aliquando etiam *equos* ad militares uſus ſubminiſtrarunt. (25) Ex quo ſimul id colligitur, huic Coenobio Ciſtercienſis Ordinis magnam quidem et eximiam, non tamen omnimodam, et a quauis praeſtatione immunem, libertatem fuiſſe conceſſam. (26) Taceo nunc, ex iisdem documentis ſimul cognoſci, huius *Butigularii Norimbergenſis* non exiguam auctoritatem, nec tenues fuiſſe opes; cum iuſſus ſit per *ſubditos ſuos* perſequi proſcriptos, et *omnia ad eos pertinentia ſententiae proſcriptionis ſubiicere.* Cuius rei plura argumenta infra afferemus.

## XIII.

*Butigularius Norimbergenſis magiſtris ſiluae et Zeidlariorum ius dixit.*

Sed occurrunt alia etiam exempla, quae eximiam *Butigliarii Norimbergenſis* POTESTATEM IVDICIARIAM teſtantur. Eius enim iudicio ſubfuiſſe *Magiſtros* ſiluae Noricae, itemque *Magiſtrum Zeidelariorum*, ex manifeſtis indiciis liquet. Quod primum attinet ad *Magiſtrum Zeidelariorum*, qui Germanice dicebatur Zeidel-Meiſter / oder Zeidel-Richter; refero huc *documentum XI*, ex *Mantiſſa*, ubi *Rudiger de Brand*, *Iudex prouincialis Caeſareus*, in literis, quae anno cIↃ CC XCVI datae, et poſtea anno cIↃ CCC LIII teſtimonio et auctoritate *Henrici*



(24) Vid. Magirus, de Aduocatia armata, Cap. XI, n. 7.

(25) Imo, alias et ipſos *Epiſcopos* atque *Abbates* interdum bellicis expeditionibus adeſſe oportuiſſe, aliunde conſtat. Abbates in *militiam ire et regalitati ſeruire tenebantur*; eſt in Diplomate Henrici Imperat. A. 1065, pro monaſterio S. Maximini, apud du Cheſne, *hiſtor. Limpurgenſ. p.* 19; citante Hertio, in Diſſert. de *Origine et progreſſu ſpecialium Romano-Germanici Imperii Rerumpublicarum*, §. *VII.*

(26) Vid. Hertii Diſſertat. de *iactitata uulgo Ord. Ciſtercienſis libertate et exemptione a ſuperioritate et Aduocatia Regionum in S. R. G. Imperio Dominorum.*

*de Berg*, itidem *Iudicis prouincialis*, confirmatae ſunt, diſertis uerbis declarat et teſtatur, *Magiſtrum hunc Zeidelariorum* proxime non ſubeſſe, niſi ſententiae et iudicio *Butigularii Norimbergenſis.* Do ward umgefragt/ inquit, und ertheilt/ ſwer hintz den Zeidel-Meiſter ſelbicht zeſprechen hett/ der ſollt das vordern vor einem Butigler ze Nürnberg. Quo loco et illud uelut in tranſitu moneo, uel ex his ipſis literis intelligi, Iudicium Iudicum prouincialium Caeſareorum iam antiquo tempore in multis non fuiſſe, niſi arbitrarium, neque omnium cauſſas ſibi uindicaſſe; cum et *Butigulario Norimbergenſi* iura ſua reliquerit integra. Sed *Butigularium* hunc etiam *Magiſtris Foreſtae*, uti uocantur a Carolo IV, Imperatore, (27) i. e. (denen Forſtmeiſtern) ius dixiſſe, uel exemplo Familiae antiquae *Colerorum* diſcimus, qui ſigillatim ei ſiluae Noricae parti, quae nunc *Laurentiana* uocatur, officii ratione et iure hereditario praefuere, ab hoc ipſo munere καθ' ἐξοχὴν Germanice cognominati Forſt-Meiſter. Hos enim Coleros, tanquam magiſtros, ſiue praefectos ſiluae, ſi qua cauſſa eſſet, non coram alio Iudice, niſi proxime coram *Butigulario Norimbergenſi*, conueniri potuiſſe, omnes literae clientelares, iis ab Imperatoribus conceſſae, (quarum non pauca exempla reliqua ſunt,) euidentiſſime docent. Ita, cum RVDOLPHVS I, Imperator, anno CIↃCCLXXXVIIII, beneficiaria lege, Ottoni, dicto *Forſtmeiſter*, *ac omnibus eius heredibus, talium feudorum capacibus*, contulit *officium Foreſti Imperialis in Nuremberc, cum noualibus, ad ipſum ex ſucceſſione progenitorum eius hucusque deuolutis, ab Imperatore et ab Imperio in feudo poſſidendum:* inter alia, diſerte id conceſſit Ottoni modo commemorato, *ne coram alio Iudicum, niſi coram* BVTIGLARIO *Imperatoris apud Nuremberc, qui tunc pro tem-*

(27) Vid. Diploma Caroli IV, Norimbergenſibus de *iuribus ſiluae*, Pragae A. 1358 datum, apud Dn. Lunigium, Vol. XIIII des Reichs-Archivs, p. 99.

*tempore fuerit, iuſtitiam obſeruaret.* (28) Quod priuilegium poſtea repetierunt, et auctoritate imperiali confirmarunt, Imperatores Glorioſiſſimi : ADOLPHVS, A. CIƆ CC XCIIII, VIII *Id. Sept. Norimbergae* ; ALBERTVS I, A. CIƆ CC XCVIII ; HENRICVS VII, A. CIƆ CCC IX ; LVDOVICVS IV, A. CIƆ CCC XXV, IV *Cal. Iun. Babenbergae* ; et poſtremum, A. CIƆ CCCL, itemque A. CIƆ CCC LV, CAROLVS IV. Non exiguam fuiſſe illam *Butigularii* Norimbergenſis auctoritatem atque poteſtatem iudiciariam, uel exinde liquet, quod *Magiſtri foreſti* pariter atque *mellicidii*, iam ipſi Iudices eſſent, auſpiciis Imperatoris conſtituti, et praeclaris ornati priuilegiis, ut illi *foreſtariis*, in cauſſis ad ſiluam pertinentibus, praeeſſent; hi *Zeidelariis*, in cauſſis mellicidii et praediorum Zeidelariorum, ius dicerent.

## XIIII.

Neque uero illa, quam proxima *Sectione* commemoraui, Butigularii Norimbergenſis poteſtas iudiciaria ſatis intelligi poſſe uidetur, niſi de *Zeidelariis* et *Foreſtariis*, eorumque Praefectis, item et de ſilua ipſa Norimbergenſi, non nihil uelut per compendium exponatur. Primum autem conſtat, Norimbergam cingi ſilua late patente, quae in duas maxime partes diuiditur, alteram *Sebaldinam*, alteram *Laurentianam*, a duobus primariis Norimbergenſium templis ſic appellatas : quae ſilua in uniuerſum tribus potiſſimum fluuiis, Schuuabachio uidelicet, Schuuarzbachio, et Regneſo, uelut circumſcripta, *tractum Norimbergenſem* ſtrictius ſic dictum conſtituit. (29) Hanc ſiluam, quantacunque

*De ſilua Norimbergenſi, et foreſtariis, eorumque Praefectis.*



(28) Vid. *Mantiſſ. Docum. VII et ſequ.*; ubi et Alberti I, et Henrici VII, et Caroli IV, Imperatorum, Diplomata eiusdem argumenti exhibemus. Literas Adolphi, et Ludouici Bauari, haud deſcribendas putauimus, eum itidem plerumque non niſi Rudolphi I, et Henrici VII, literas clientelares referant.

(29) Hic tractus ſaepius uocatur der Nürnbergiſche Crays- und Reichs-Boden. Neque dubium eſt, quin eundem tractum innuat Wenceslaus, Imperator, qui, in diplomate, quo anno 1391 uenditionem Herolds-

cunque eſt, (ex Conradi Celtis autem ſententia ἐν περιφερίᾳ XVI milliaria patet,) (30) Imperatores Romanorum, quoad longiſſime rerum Norimbergenſium memoria ex uetuſtiſſimis documentis atque diplomatibus poteſt repeti, SVAM et IMPERII SILVAM, ac BONVM IMPERII, peculiari ratione appellarunt, (31) deque ea libere ſemper diſpoſuerunt, eiusque curandae munus certis perſonis commiſerunt, ita quidem, ut hae, ſaluis iuribus ac reditibus Imperatori et Imperio inde debitis, certis iuribus priuilegiisque, quae cum munere ſuo et cum quibusdam praediis *foreſtariis* coniuncta erant, fruerentur. In utraque enim parte huius ſiluae iam ab antiquo tempore ſunt certa praedia, quorum poſſeſſores hereditarii dicuntur ſaltuarii, i. e. *officiales foreſtarii*, die Erb-Forſter und Forſt-Hübner. Quemadmodum uero iam Caroli M. aeuo generatim erat conſtitutum: *ut foreſtarii bene foreſtas defenderent, et ſimul cuſtodirent beſtias;*

---

roldsbergii, aliarumque uillarum, ratam eſſe iuſſit, his uerbis uſus eſt: - - Und was er in den Dörffern zu Bergersdorff und Herpertsdorff gelegen / im Nürnberger-Crayß bißher gehabt hat ꝛc. Ita et ante hunc Carolus IV, in Reſcripto ad *Foreſtarios ſupremos, inferioresque*, anno 1358 Pragae edito, ſcripſit: Wir Carl - - - entbieten den Oberſten Forſtmeiſtern / und darzu allen andern Forſtern und Zeidlern von beeden Wälden gelegen beederſeits des Waſſers / genannt die Pegnitz bey Nürnberg / die uns und das Reich / und zu der Stadt Nürnberg gehörent ꝛc. Vid. Lunig. Reichs-*Archiv. Vol. XIV*, p. 100.

(30) Celtes, de *origine, ſitu, moribus et inſtitutis Norimbergae, cap. II.*

(31) Longum et taedioſum foret, omnia huius argumenti teſtimonia, quae alii iam collegerunt, hoc loco repetere. Sufficiat in praeſens, hanc in rem uel unicum Henrici Luzelburgici, Imperatoris, mandatum de *inſtauranda ſilua imperiali* anno cIↃ CCC IX editum, excitare; in quo ſiluam, adeoque tractum Norimbergenſem ſpecialius ſic dictum, his diſertis uerbis ad *bona et proprietatem Imperii* retulit: *Officii noſtri*, inquit, *requirit debitum, ut* BONA IMPERII, *diſtracta illicite, uel deſtructa, ad* IVS *et* PROPRIETATEM IMPERII, *ac utilitatem et commodum nobis ſubiectorum reuocemus. Conſiderantes igitur, quod* NEMVS NOSTRVM ET PRAEFATI IMPERII APVD NVREMBERG, *per incendia et extirpationes in noſtrum ac reipublicae praeiudicium, uaſtatum eſt*, etc. Vid. Lunigii Reichs-*Archiv. Vol. XIV*, p. 87.

*ſtias;* adeoque iam alibi dicebantur *Cuſtodes ſaltuum uillarumque regiarum*, itemque *Procuratores ſiluarum Regiarum:* (32) ita et *Foreſtariorum Norimbergenſium* erat, illam ſiluam imperialem curare, ſeruare, et cuſtodire; id quod non pauca Imperatorum mandata Praefectis ſiluae atque *foreſtariis* praeſcripta teſtantur. Quo conſilio, ſingulis *foreſtariis* certae plagae et portiones ſiluae beneficiaria lege fuerunt commiſſae, in quibus ſua haberent praedia, et quibus cuſtodiendis curandisque operam nauarent; ita tamen, ut et ipſi certa inde commoda caperent: quae plagae et *diſtrictus ſilueſtres* hinc appellari coeperunt Forſt-huten / quaſi dicerentur *cuſtodiae ſilueſtres.* Sed et dicebantur *manſi*, uel *manſus foreſtales*, et Germanice Forſt-huben / teſte diplomate Caroli IV, anno ClƆCCCLV promulgato, ubi haec legimus: *Quilibet etiam foreſtarius ſuper manſo ſuo foreſtali, qui uulgariter* Forſt-hub *nuncupatur, tenebitur reſidere, et non plus; et idem manſus foreſtalis diuidi non debebit; et idem foreſtarius, dum in eodem manſo ſuo foreſtali reſederit, debet impignorare ibidem, et nusquam aliunde.* (33) Ex quibus conficitur, *manſos foreſtales* fuiſſe certas ſiluae portiones, certis *foreſtariis* attributas, in quibus ſingulis etiam ſingulorum *foreſtariorum* praedia atque domus eſſent: unde uſu uenit, ut et ipſa praedia *foreſtariorum* aliquando uocata ſint *manſi foreſtales*, ſiue Forſt-huben. Hodie tamen praedia *foreſtariorum* proprie die Forſt-huben; at toti *manſus foreſtales*, die Forſt-huten/appellari ſolent. Cuiusmodi *manſus foreſtales* in ſilua Sebaldina numerantur ſex, a uicis, quibuscum coniuncti ſunt, denominati. Sed et pars ſiluae Norimbergenſis, quae *Laurentiana* dicitur, non minus in ſex portiones, et *manſus foreſtales*, diuidi conſueuit, nempe 1. in *Meilenſem ſuperiorem*, 2. *Meilenſem inferio-*

(32) Vid. Cangii *Gloſſarium Latin.* ſub uoce *foreſtarius*,
(33) Vid. Mantiſſ, *Docum. XIII.*

*feriorem*, 3. *Renzenhoferanum*, 4. *Vngelſtettenſem*, 5. *Feutchtenſem*, et 6. *Schottenſem.* Longum eſſet, ſingulorum *praediorum foreſtalium*, quae in utraque ſilua ſita ſunt, nomina nunc referre. Cum uero ſaepius uiri nobiles et conſpectae dignitatis huiusmodi *praedia foreſtalia* poſſederint, qui non ipſi obirent cuſtodirentque *manſus foreſtales* ſuis praediis attributos; hi ſuo loco alios homines ſubagreſtes et talibus operis idoneos mercede conduxerunt, qui in Diplomate Caroli IV, modo citato, dicuntur *ſeruitores*, ſiue *ſerui foreſtariorum;* in VValdſtromerianis literis, audiunt der Forſter Diener; (34) hodie Germanice appellantur die Stock-Forſter. At enimuero ex iuſſu et conſtitutione Imperatorum prae ceteris res ſiluae procurabat, et cauſſas ad *foreſtum* pertinentes magna cum auctoritate cognoſcebat, diiudicabatque, atque adeo *foreſtariis* praeerat *ſupremus foreſtarius*, i.e. ſummus ſiluae Praefectus, (der obriſte Forſt-Meiſter;) prout in Imperatorum diplomatibus appellatur; qualis fere ſiluae praefectus olim in Anglia audiit *Protoforeſtarius*, ſiue *Iuſtitiarius de Foreſta*; (35) Hanc ſuperiorem ſiluae praefecturam (das Oberſt-Forſt-Meiſter-Amt/) cum Fridericus II, Imperator, beneficiario iure deferret Henrico et Gramlibio, VValdſtromeris; teſtatus eſt, iam antea horum maiores ex beneficio et indulgentia Imperatorum antecedentium eadem praefectura fuiſſe ornatos. (36) Haeſit adeo hoc ipſum ius non interrupto

(34) Vid. Mantiſſ. *Docum. XIV.*
(35) Vid. Matthaeus Weſtmonaſterienſis, ad annum cIↃ cc LII.
(36) Vid. Lunig. Reichs-*Archiv. Vol. XIV*, *p.* 86. Ne uero nullum exemplum literarum huiusmodi clientelarium hoc loco exhibeamus, uiſum eſt, Adolphi, Regis Rom. diploma huc transferre: *Nos* ADOLPHVS, *Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ad uniuerſorum Imperii Romani fidelium noticiam preſente tenore deducimus, quod prudenti uiro, Conrado, dicto Stromeier, de Nuremberg, fideli noſtro dilecto, officium foreſti noſtri Nurenbergenſis, quod* Forſt-Amt *volgariter appellatur, concedimus, eo iure tenendum et regendum, quo pater et auus eius ipſum officium a longe retro actis temporibus rexiſſe et tenuiſſe noſcuntur: dantes ſibi has literas noſtrae maieſtatis Sigillo munitas*

terrupto ordine in eadem peruetuſta familia, donec, anno cIↃ CCC XCVI, iuſto uenditionis titulo, approbantibus atque confirmantibus Imperatoribus, ad Magiſtratum Norimbergenſem deferretur. Erant uero VValdſtromeris, (qui et ſimpliciter Stromeri olim dicti ſunt,) in curanda ſilua adiuncti Coleri, Praefecti ſiluae, ſiue *Magiſtri foreſtae*, i. e. Forſtmeiſter/ peculiariter dicti; quos ab hoc munere cognomen ſuum inueniſſe, iam ſupra monuimus, excitatis ſimul literis clientelaribus, quas ii ab Imperatoribus identidem impetrauerant. (37) Erant praeterea et ipſis *Burggrauiis* certa in ſiluis Noricis iura concesſa; quae qualia fuerint, omnium rectiſſime intelligi licet ex literis, quibus Rudolphus Imperator, A. cIↃ CC LXXII, itemque anno cIↃ CC LXXXI, *Comitiam Burggrauiae* iure hereditario in ipſos contulit. Ibi enim, quae ſigillatim ad iura ſiluae ſpectant, haec inuenimus uerba: *Inſuper, quod tertiam feram, tertiam arborem de foreſto, ac omnia ligna iacentia in eodem poſſit tollere, capere, et habere. Inſuper officium foreſti, ab illa parte pontis, uerſus caſtrum, diœceſis Bambergenſis*, (i. e. ſiluae Sebaldinae) *cum omnibus attinentiis ſuis, et quod ibidem foreſtarium poſſit ponere, ſeu locare*, (in feudum concedimus.) (38) Sed et ipſi quoque Magiſtratui Norimbergenſi iam a uetuſtis temporibus eximia in ſilua circumiacente iura fuiſſe attributa, infra commemorabimus. Longius proueheremur, ſi nunc quidem ſingulas partes ueterum iurium atque officiorum *Foreſtariorum*, ac *Magiſtrorum foreſtae*, et ipſius *ſummi ſiluae Norimbergenſis Praefecti*, enarrare uellemus; quae uero cuiusmodi adhuc

E fuerint

*tas in teſtimonium ſuper eo. Datum in Cadolzburgk*, III *Nonas Maii, Indictione ſexta, anno Domini* MCC LXXXIII, *regni noſtri anno ſecundo.* Wenceslai Imp. literas clientelares iisdem Waldſtromeris anno cIↃ CCC XCVI datas, profert Lunigius. *l. c. p.* 105.

(37) Conf. in Mantiſſa *Docum. VII, VIII, et X.*

(38) Vid. Limnaei Tom. *IV Addit. Iur. Publ. p.* 745. et Wagenſeil. *de Ciuit. Norimb. p.* 342. Conf. Lunigii Reichs-*Archiv. Vol. VIII, in Supplem. I, p.* 232.

fuerint Caroli IIII, Imperatoris, aeuo; maximam partem licet colligi ex diplomate ipſius Caroli IV, Imp. quod in *Mantiſſa*, *n. XIII*, proferimus, itemque ex literis Conradi VValdſtromeri, ſummi ſiluae Norimbergenſis Praefecti; quarum anno cIↃ CCCLXXIII datarum exemplum itidem in *Mantiſſa*, *n. XVII*, exhibemus. Illud duntaxat nunc generatim inde obſeruamus, VValdſtromero, tanquam primario ſiluae Praefecto, in iudicio cauſſarum ad ſiluae et *foreſtariorum* iura pertinentium, qualia ſunt ius lignandi, ius paſcendi in ſilua, ius pignorandi, et quae ſunt alia generis eiusdem, primas partes competiiſſe; (39) utpote qui ſigillatim, *hereditariis foreſtariis* ex utraque ſilua in conſilium conuocatis, bis ſingulis annis, ad D. Walpurgis ſcilicet et Sancti Michaelis, *iudicium foreſtale Caeſareum*, ſolenni ritu celebrauit. (40) Si quae cauſſae difficiliores grauioresque, et maxime ſi cauſſae criminales ac capitales, occurrerent, ob crimina ſcilicet et homicidia in ſiluis commiſſa, eas ſummus hic ſiluae Praefectus remittebat ad Praeſidem prouinciae, ſiue *Aduocatum*, in caſtro Norico reſidentem, qui in nonnullis Germanicis Diplomatibus uocatur der Reichs-Pfleger/ item, der Land-Voigt. (41) Cui Aduocato etiam idem ſum-

(39) Ita legimus in laudatis Conradi Waldſtromeri literis: Von erſten iſt Recht/ daß alle Vorſter des obgenandten Waldes vor mir/ oder welcher meiner Gebrüder in Zeiten Oberſter Vorſtmeiſter wird/ nu alle Sache ſullen zu Recht ſtehen/ und ſullen auch die Erbvorſter das Recht ſprechen/ ohn um das Halsgericht iſt/ das ſullen ſie thun an den ſteten/ als Recht iſt. Mantiſſ. Doc. XVII.

(40) Pertinent huc ea, quae in uetere libello Iacobi Stromeri de officio ſummi Praefecti ſiluae anno cIↃ CCCLXXXV ſcripto, leguntur: Item, es ſoll der Oberſt Forſtmeiſter den zwelfen Erbforſtern gebieten zw im/ das ſie im geloben bey ihren trewen/ und dieſelben trewe vor den Purgñ zw ſweren/ die Geſetz ſtet zw halten und das ſie rugen/ als von Alters her iſt kommen/ zw ſant Walpurg-tag und zw ſant Michels-tag.

(41) Ita ipſe teſtatur Waldſtromerus, in litteris anno 1373 ſcriptis: Und ob ſie (die Forſter) dheinerley Sache angieng/ die mir zu ſwer were/ und daraus ich ſie nicht gerichten mögt/ darum mag ich ſie an einen Landvogt weiſen. Afferuntur ibi et alii caſus, qui ad iudicium Praeſidis prouinciae pertinebant. Vid. *Mantiſſ. Docum. XVII.*

ſummus ſiluae Praefectus, annuum cenſum, Imperatori et Imperio debitum, exhibuiſſe uidetur: cum in uetere *libello cenſuali*, de quo infra dicemus, ubi recenſentur bona Imperii et reditus, qui ad Caſtrum Noricum ſpectarunt, haec legamus: der Stromer ſoll geben alle Jar von ſeinem Ampt fünfftshalb Pfund / und zweinzig Pfund / von dem Walde des er pflegt. A quo cenſu praeſtando neque praefecturam ſiluae Sebaldinae immunem fuiſſe, ſequentia eiusdem *libelli Cenſualis* uerba teſtantur: Von dem Walde / der zu dem Herolzberg gehöret / dienet auff die Burgk zu Nürnberg ſechs und vierzig Geſchock. ꝛc. Illum uero ipſum Praeſidem prouinciae, cuius iam modo meminimus, crimina potiſſimum et homicidia, quae in ſilua Norica commiſſa erant, diiudicaſſe atque puniuiſſe; multa antiqua teſtantur documenta. (42) Iam quod nominatim attinet ad Coleros, dictos *Magiſtros ſiluae*, i. e. die Forſtmeiſter; iam ſupra, *Sect. XI*, auctoritate non paucorum diplomatum demonſtrauimus, eos nullius alius iudicio, niſi *Butigliarii Norimbergenſis* poteſtati iudiciariae, tunc ἀμέσως fuiſſe ſubiectos. De *foreſtariis* autem, in Hermanni *Comitis de Caſtel*, *Iudicis prouincialis*, ſententia, anno cIↄ ccc xxxiiii, *die Mercurii poſt Agnetis*, lata, ita generatim pronunciatum inuenimus: Keiner des Reichs Vorſter ſoll an keiner ſtat zu Recht ſteen / wann (dann) in des Reichshoff / oder vor dem Landvogt / oder vor dem Wald-Stromer.

## XIII.

A *foreſtariis* uenio ad *Apiarios Norimbergenſes*, qui dici conſuerunt *Zeidelarii*; quorum Magiſtro, ſiue Praefecto, cum *Butigularius* quondam ius dixerit; de his ipſis etiam non nihil

*De cultura Apum in ſiluis Norimbergenſibus, et generatim de* Zeidelariis



(42) Refero huc, quae in Caroli IV edicto, anno 1350 Norimbergae promulgato, leguntur: Was auch Todſchläge im gericht geſchehen / das gehöret einem Landvoigt an. Vid. Wagenſeil. *de Ciuit. Norimb.* p. 355. Conſ. *Docum. XII. et XVII.*

nihil diſſerendum uidetur. Dici uero non poteſt, quam frequens olim in ſilua Norimbergenſi fuerit apum cultura; quarum mel magno colligebatur ſtudio, cum ante, quam ſacchari uſus in Germania frequentaretur, ad potum ciboſque condiendos ſaepiſſime adhiberetur. Ita certe ſuperioribus ſaeculis *mellitam cereuiſiam* Germanis in uſu fuiſſe, multis teſtimoniis conſtat. Refero huc exempli cauſſa Ludouici Germanici priuilegium *monaſterio Corbeienſi*, anno CIↃ CCC LIII datum; ubi haec legimus: *Dentur ad ſingulas Eccleſias tres porcelli, quatuor Aucae, octo pulli, uiginti ſitulae de medone, XX de mellita cereuiſia; XL de non mellita.* (43) Et Albertus Stadenſis, ad A. CIↃXXV: *ordinauit*, inquit, *ut Canonicis in diebus dominicis unicuique duplex detur mellitae copia.* Quemadmodum igitur munus curandae utriusque ſiluae certis perſonis, nomine Imperatoris et Imperii, erat demandata; iiſque ſimul certa commoda inde prouenientia fuerant conceſſa: ita etiam certis perſonis, ius mellicidii in iisdem ſiluis cum quibusdam praediis connexum, nomine Imperatoris et Imperii, certis conditionibus fuit concreditum. Ii uero, quorum officia atque iura in *mellicidio* uerſabantur, quod iam ante dixi, conſueuerant appellari *Zeidelarii*, die Zeidler. Alibi, teſte Schottelio, dicuntur die Bienen-Männer. (44) Nominis *Zeidelariorum* rationes ingenioſe inueſtigatae ſunt, totumque hoc argumentum in erudita diſputatione SCHEVRLIANA de Iure *mellicidii*, tam ſolerter planeque expoſitum eſt, ut uix ſpicilegium aliis relictum uideatur. Apprime illud placet, quod ibi affertur ex Harsdoerffero, (45) *Zeidlarios* (Zeidler) dici a Germanica uoce Zeiteln / ſiue Zeideln / quod notet *mel apum caedere*, uel *exi-*

(43) Lunig. Reichs-Archiv. *Vol. XVIII*, ſiue *Spicileg. Eccleſ.* P. *III*, p. *66. et* 88. De uariis potus generibus ex melle olim paratis, adire licet Io. Henricum Meibomium, in *Comment. de Ceruiſiis, cap.* XX.

(44) Schottelius, *de lingua Germanica*, p. 1447.

(45) Vid. Harsdörfferi Poetiſchen Trichter / P. II, *in Append. p.* 180.

*eximere.* Vnde uſu ueniſſe opinamur, ut et urſi, qui magna auiditate fauos ſectantur, nobis Germanis uulgo dicantur: die Zeidel-Bäre. De urſis enim Plinius: *Oculi eorum*, inquit, *hebetantur crebro; qua maxime cauſſa fauos petunt, ut uulneratum ab apibus os leuet ſanguine grauedinem illam.* (46) *Zeidelarii* uero in antiquis monimentis aeui medii ſcribuntur etiam *Cidelarii:* quod nomen, in *Gloſſario ſuo*, neſciit interpretari Cangius. Sic legimus in diplomate Ottonis I, Imp. quo *Monaſterio Emmeranenſi* donauit praedium Helphindorſenſe, A. DCCCCXL. *Locum*, inquit, *qui dicitur Helphindorff, cum foreſto et noſtro regio banno - cum omnibus ad eadem loca et foreſtum iure legitimeque pertinentibus, mancipiis utriusque ſexus et aureariis*, CIDELARIIS, *parſcalcis, agris, pratis, — in proprietatem donauimus.* (47) Praeterea uero ipſe Carolus IV, Imperator, in litteris ſuis *Zeidelarios* a melle caedendo Latine uocauit *Mellicidas.* (48) Hi adeo, ex beneficio Imperatorum, poſſederunt certa Imperii cenſualia praedia, quae dicebantur die Zeidel-Güter / in ſilua Norimbergenſi ſita; quae poſthaec recenſebimus. Quemadmodum enim Imperatores in diplomatibus ſuis generatim iſtam ſiluam uocarunt SVVM et IMPERII FORESTVM; id quod iam ſupra demonſtrauimus: ita iidem etiam ratione *mellicidii*, eandem ſiluam, ex eodem iure, ſibi et imperio uindicarunt, appellaruntque des Reichs-Bien-Garten / des Reichs-Bien-Crayß; (49) Item, die Gut-und Zeidel-Weid / die zu unſern und



des

(46) Plinius, *Libr. VIII. Hiſt. Natur. cap. 26.*

(47) Videatur Codex diplomaticus Ratisponenſis, in V. CL. *Bern. Bezii Theſaur. Anecdot. T. I, P. III, p. 52. et 57. et 130.* Adde Hundium et Gevvoldum, in *Metropoli Salisburgenſi T. I, p. 227, 272, etc.*

(48) Sic loquitur Imperator in priuilegio *Zeidelariis Norimbergenſibus* anno 1355 dato: *Omnes Officiales, Foreſtarii et* Mellicidae, *qui Zeidelarii uulgariter nuncupantur.* Vid. *Mantiſſ. Doc. XIII.*

(49) Vid. Caroli IV. dipl. A. 1350. in *Mantiſſ. n. XII.* ex quo ſequentia uerba huc ſpectant: Es ſollen auch alle verſagte Binen auf unſern und des Reichs-Walde gehören in deſſelben unſers Reichs Pin-Garten. - - - Es iſt auch Recht auf unſern und des Reichs-Walde / bey Nürnberg gelegen / ſo ferre der Pin-Kreyß gereichet / ꝛc.

des Reichs-Walde zu Nürnberg gehören. (50) Adhaec, de officiis et iuribus *Mellicidarum* libere diſpoſuerunt: quod non paucae Imperatorum *Conſtitutiones* declarant. Sic e. g. Henricus VII, *Zeidelariis* aeque, ac Praefectis ſiluae, ceterisque *Foreſtariis*, iniunxit, ut *Sculteto et Conſulibus Norimbergenſibus iurati promitterent, ſe nemus Norimbergenſe, quod quinquaginta inde annis uaſtatum deſtructumque fuerat, in ſtatum priſtinum, hoc eſt, in ſiluam atque arbores, auctoritate regia redacturos, et redigi curaturos, neque permiſſuros eſſe, ut extranei ius in ipſo nemore non habentes, per uenditionem, aut vias alias, caperent, uel reciperent aliquem uſumfructum.* (51) Plura deinde de *Zeidelariis* ſanciuerunt, Ludouicus Bauarus, et Carolus IV, Imperatores, quorum quasdam *Conſtitutiones*, in *Mantiſſa, n. XI, XII, et XIII*, exhibemus. Atque adeo Imperatores *Zeidelariis* hereditario iure contulerunt iſta praedia et connexa apiaria; unde etiam in antiquis literis uocantur hereditarii, die Erb-Zeidler; ita, ut hi ſoli, praeter paucos exceptos, apes in ſilua Norimbergenſi ſibi uindicare, et fouere, et commoda ex mellicidio capere, potuerint. Huc refero uerba ex *Carolina Conſtitutione* A. CIↃ CCCL: Es ſoll auch auf das ehegenandten Reichs-Walde niemand kein Pin haben / denn allein **geerbet Zeidler** / ohn der Stromer und Vorſtmeiſter. Item: Es iſt auch recht / auf unſern und des Reichs-Walde / bey Nürnberg gelegen / als ferre der Pin-Creyß gereichet / daß niemand keinen Schwarm aufhebe / noch ſich unterwinden ſoll / denn ein geerbter Zeidler. — — Und ſoll auch jeder Vorſter Pin haben in ſeiner Hut / und nicht ferner / ꝛc. Vnde et *Zeidelariis* ius erat conceſſum eos pignorandi, qui non ſolum *aluearia* turbarent, rape-

(50) Haec uerba extant in diplomate Caroli IV, anno 1360 dati. Vid. *Mantiſſ. Docum. XVI.*

(51) Hoc Henrici VII diploma, datum Heimbachii A. CIↃ CCCX, protulit Goldaſtus, *Conſtitut. Imper. T. I, p. 319.*

raperentque fauos; ſed et, qui arbores certas fruticesque cultui et alimentis apum inſeruientes tollerent. (die Zeidler ſollen auch pfenden an Linden/ Salhen/ und an Spúrckeln um ein Pfund Heller ꝛc.) Iis praeterea poteſtas data erat in eadem ſilua truncos caeduos et ſarmenta, certa conditione deuehendi, caedendique ligna, quibus non ſolum ad aluearia, ſed etiam ad aedificia in praediis ſuis extruenda opus eſſet. (Sie haben auch das Recht / daß ein jeglicher Zeidler alle Wochen ſoll führen zwey Fuder Stóck und Rannen aus des ehegenannten Reichs Walde. ꝛc. ——. Es ſeyen auch ire Recht alſo/ daß man alle Zeidel-Gut zimmern ſoll aus unſern und des Reichs Walde bey Nürnberg. ꝛc. ——. Es ſoll auch jeder Zeidler hauen/ was er zu den Peuten bedarf.) Adhaec ſingulari priuilegio liberi immunesque erant ab omnibus uectigalibus in quacunque Ciuitate imperiali ſoluendis. (Daß ſie in allen Stetten des Römiſchen Reichs ſollen Zollfrey ſeyn.) Quod uero ad munia atque officia *Zeidelariorum* attinet; horum erat, non ſolum generatim proſpicere, quantum in ipſis eſſet, ne quid detrimenti in his ſiluis caperent iura Imperatoris et Imperii, itemque Ciuitatis Norimbergenſis; ſed etiam, quod poſtea denuo memorabimus, Imperatori et Imperio quotannis uel certam mellis menſuram, uel eo nomine pecuniam lege ac conſuetudine determinatam, *canonis* cenſusque loco, pendere, et alia quaedam praeſtare officia.

## XIIII.

*De iudicio mellicidii, eiusque praefecto.*

Tanto magis autem hoc loco commemorandum uidetur, *Zeidelarios*, de quibus hactenus egimus, auſpicio Imperatoris et Imperii peculiari uſos eſſe iudicio, quod uocabatur *iudicium mellicidii*, (das Zeidel-Gericht;) quanto rarius huiusmodi iudicii aliud exemplum in Germania occurrit. (52) Eius ſedes iam

(52) De hoc iudicio iſta ſcribit Hertius, Iuris Conſultus Giſſenſis, in Diſſert. de Conſultationibus, legibus et Iudiciis in Specialibus Rom. Germ. Imp.

iam olim erat Feuchta, uicus Imperialis ad alterum ab Vrbe Norimberga lapidem ſitus: ubi priſco aeuo duobus (53) deinceps tribus, ſtatis temporibus, iudicium quotannis ſolenniter haberi celebrarique conſueuerat. Hoc uero conſtabat ex ipſis hereditariis *Zeidelariis*, quibus praeerat *Magiſter Zeidelariorum*, (der Zeidel-Meiſter/ oder Zeidel-Richter.) Hic ab ipſo Imperatore conſtituebatur, ita tamen, ut pro re nata, et ex conſenſu *Zeidelariorum*, alii uices ſuas gerendas deferre poſſet. (54) Huius Magiſtri praecipuum munus erat, leges et iura *Zeidelariorum*, eorumque praediorum, tam ſolerter fideliterque adminiſtrare, ut nec hac ex parte quid detrimenti caperet Imperium. (55) Eidem non ſolum illi, qui aluearia diſturbarant, ſpoliarantque, aut arbores apiariis deſtinatas, certoque ſigno notatas, ſuſtulerant, mulctam pendere; ſed et ipſi *Zeidelarii*, ſi qui noui accederent, aut inde diſcederent, uelut ſymboli loco pecuniam lege deſcriptam ſoluere neceſſe habuerunt. Neque uero poteſtas *Magiſtri Mellicidarum* ſimul complectebatur *iuriſdictionem criminalem*; ea enim, uti in reliquis huius tractus partibus, ita etiam in praediis et iudicio *Mellicidarum*, com-

Imp. Rebus publicis, §. XXXI: *Ciuitas Norimbergenſis, ſingulare habet iudicium, cuius ſimile me legiſſe non memini,* das Zeidler-Gericht *dictum. Cum enim iam olim non niſi certis praediorum poſſeſſoribus apes in ſiluis Norimbergae circumpoſitis fouere, melque legere, ſiue caedere, integrum eſſet; auſpiciis Imperatorum iudicium inſtitui coepit. etc.*

(53) Huc pertinent uerba priuilegii Carolini, saepius citati: Es ſollen auch die Zeidler zwirnt in dem Jahr darum rügen dem Zeidel-Meiſter. Deinde tamen et tribus terminis, nempe 1. die Martis proximo a die Walpurgis; 2. poſt diem S. Michaelis, et 3, poſt diem Trium Regum, ita quidem hoc iudicium quotannis ſolenniter celebratum eſt, ut ſingulis terminis duo dies eſſent conſtituti.

(54) Id quod demonſtrant haec priuilegii Carolini uerba: Es iſt auch Recht/ ob der belehnet Zeidel-Meiſter von uns und dem Reich das Zeidel-Gericht nit beſetzen will/ daß er einen andern Zeidel-Meiſter an ſein ſtatt ſetzen ſoll/ nach der Zeidler Rath/ und nach ihren Willen.

(55) Es iſt auch Recht/ daß ein jeder Zeidel-Meiſter/ der von des Reichs Gnad zu Feucht ſitzt/ ſoll ſetzen und entſetzen alle Zeidel-Gut/ alſo/ daß uns und dem Reich an ſeinen Guten nicht abgehe/ und auch das Reich ſein Dienſt auff denſelben Gut finden. Vid, *Mantiſſ. Doc. XII.*

commiſſa fuit *Aduocato*, id eſt, dem Land-Voigt/ dem Reichs-Pfleger. Ita enim expreſſe praeceptum legimus in Diplomate Caroli IV, Imp. A. 1350, cuius teſtimonio hucusque ſaepius uſi ſumus: Und was auch Todtſchläg in dem Gericht geſchehen/ das gehöret einem Landvogten an/ oder dem/ der es von uns und von des Reichs wegen innen hat. Sed et ipſe *Magiſter Mellicidarum* (quem alias ad *Butigularii Norimbergenſis* iudicium fuiſſe remiſſum, ſupra oſtendimus) in hac *Carolina Sanctione de Zeidelariis*, *Aduocati* poteſtati iudiciariae ſubiectus legitur. Id quod ex ſequentibus uerbis patet: Es ſollen auch die Zeidler zwirnt in dem Jahre darum rügen dem Zeidel-Meiſter. Iſt aber/ daß er ihn das nicht ausrichtet; ſo ſollen ſie es klagen unſern und des Reichs Pfleger; und der ſoll es ausrichten/ und auch die Puß darum nehmen/ als vorgeſchrieben ſtehet. Nihil iam dicimus, *Zeidelarios*, ipſorumque Magiſtrum, praeterea etiam Magiſtratui Ciuitatis Norimbergenſis iam tum certa lege fuiſſe obnoxios.

## XX.

*De praeſtationibus extraordinariis Zeidlariorum, ipſorumque Magiſtri.*

Neque uero uiſum eſt, ea miniſteria atque ſeruitia, quae a *Zeidelariis*, ipſorumque Magiſtro, uelut extra ordinem fuerunt praeſtanda, nunc prorſus ſilentio praetermittere. In rebus enim Imperatoris et Imperii expediendis, et maxime in bello, more *uaſallorum*, *Magiſter Zeidelariorum* euocatus adeſſe debuit, ita tamen, ut in huiusmodi miniſterio uictum gratuitum, itemque penſionem *Albi* (eines Weiß-Pfennings) ex palatio, ſiue curia imperiali, reciperet. (56) Non minus et ipſi *Mellicidae* obligati fuere, ut, ſi opus eſſet, ad ſeruitia militaria Impera-



(56) Hac de re, in *Sanctione Carolina de Zeidelariis*, hanc legem decretam obſeruamus: Es iſt auch ihr Recht/ daß der Zeidel-Meiſter in unſern und des Reichs Dienſt ſoll verfahren/ und ſoll ihn vom Hoff die Koſt fordern/ und auch ihre Rechte/ und um denſelben Dienſt iſt man den Zeidel-Meiſter ſchuldig ſeinen Weiß-Pfennig.

peratori et Imperio intra quatuor ſiluas praeſtanda, itemque forte ad Imperatorem eiusque comitatum *conducendum*, *baliſtis manualibus* inſtructi, gratis adeſſent; niſi quod ipſis ſagittae, et currus, itemque uictus, itidem ex palatio imperiali ſuppeditarentur. (57) Reſtringebantur ergo extraordinaria iſta *Zeidelariorum* officia intra limites quatuor ſiluarum. Quas ſiluas, ni fallor, deſignat Conradus Celtes, (58) ubi de poenis ſontium olim Norimbergae uſitatis locutus: *Proſcribunt*, inquit, *ultra Germaniae, (ut longiſſime ab Vrbe, qui in Patriam deliquerint, abſint,) quatuor nemora et flumina: Bacenin, Sueuiae; Piceariam et Herciniam, Franciae et Thuringiae, et Bohemiae; Danubium, Albim, Rhenum et Moenum: quibus fluminibus et ſiluis Vrbs ad quatuor mundi latera in medio ſita circumſepta eſt.* Arma, quae afferre debebant *mellicidae*, dicebantur ex uſu medii aeui *baliſtae manuales*, ſiue *arcus baliſtarii*: baliſtarum uero ſimpliciter dictarum aliam olim formam fuiſſe, diſcimus ex Vegetio. (59) Et praeterea Guilielmus Brito (60) inter *baliſtam* et *arcum* diſtinxit:

*Francigenis noſtris illis ignota diebus*
*Res erat omnino; quid baliſtarius arcus,*
*Quid baliſta foret?*

Paullo

(57) Ibidem: Sie (die Zeidler) ſein auch ſchuldig von ihren geſchrieben Erben auff den Zeidel-Guten / und von allen ihren vorgeſchrieben Rechten / die ſie von uns und dem Römiſchen Reich haben / zu dienen uns und dem Reich / zwiſchen den vier Wälden / auff Gnade; und der Dienſt iſt alſo / daß ſie dienen ſollen mit 6 Armbrüſten / und zu denſelben Armbrüſten ſoll man ihn geben Pfeil / was ſie ihr bedörffen. Es iſt auch ihr Recht / daß man ihn Wägen von Hoff ſoll geben / und auch Koſte / und ob man des nicht enthät / ſo ſein ſie ihres Dienſts ledig. Ad eundem plane modum etiam *foreſtarii*, eorumque Praefecti, obligati fuere ad officia talia Imperatori et Imperio praeſtanda. Qua de re uidere licet Conradi Waldſtromeri literas, *Mantiſſ. Doc. XVII.*

(58) Celtes, *de origine et ſitu Norimbergae*, *Cap. XIIII.*

(59) Vegetius, *de re militari*, *Lib. IV*, *Cap.* 22.

(60) Guilelmus Brito, *Lib. II Philippidos*, *u.* 315, *et* 573, *ſeq.*

TAB. I.




Fig 2. ad pag. 25 et 97.

Fig 3. ad pag. 55 et 97.

Fig. 1. ad pag 43.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/45
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

Sächsische Landesbibliothek –
Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/46
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft

Paullo poſt uero ait :

*Nec tamen interea ceſſat baliſta, uel arcus ;*
*Quadrellos hic multiplicat ; pluit ille ſagittas.*

Talia arma et ueſtitum *Zeidelarii* refert uetuſta quaedam imago, quam ex doctiſſima diſſertatione de *Iure Mellicidii*, pace Auctoris Generoſiſſimi, et noſtro praeconio maioris, mutuam ſumſi, et *TAB. I, fig.* 1, aeri incidendam curaui. Vbi ueſtitum quidem non ſolis *Zeidelariis* proprium, ſed aliis etiam honoratioribus uiris huius generis, iſto aeuo uſitatum fuiſſe puto ; adeoque hac occaſione in memoriam reuoco, quod in Anonymi Leobienſis *Chronico, Lib. VI*, ad annum CIↃ CCC XXXVI annotatum legere memini ; ubi ſcriptor iſte commemorat, poſt mortem Alberti, Regis Romanorum, in Auſtria et in Stiria, itemque in aliis terris, *plures adinuentiones et nouitates in ſarciendis ueſtibus ortas eſſe.* Inter alia uero : *In tantum*, inquit, *arctabant fere omnes tunicas, ut aliqui, niſi per adiutorium aliorum inhaerentes tunicas ingredi, et egredi, ualuerint. — —. In ſuperioribus tunicis etiam acurtabant manicas, ut ſuper brachia uix ad cubitum attingerent : ſub cubito uero longum quid, ut uexillum, dependebat.* Niſi uehementer fallor, in iſta *Mellicidae* imagine aliquam eiusmodi ueſtitus ſimilitudinem mihi deprehendere uideor. Alia nunc praetermitto.

## XXI.

Vix operae pretium facturi uideamur, ſi et nomina *Magiſtrorum Zeidelariorum* operoſe colligere uelimus. Trium nomina, nempe *Hildebrandi*, A. 1296 ; *Simonis*, A. 1302 ; et *Henrici*, A. 1353, forte nobis animaduerſa ſunt, partim in *Mantiſſae documento X*, partim in ſequente Indice *Foreſtariorum* atque *Zeidelariorum*, eorundemque Praefectorum, qui, anno CIↃ CCC II, *Sculteto* et *Conſulibus Ciuitatis Norimbergenſis* fidem iureiurando dederunt, ſe officio ſuo rite legitimeque perfuncturos, operamque daturos, ut ſilua imperialis in agros deſtructa

*Index quorundam Foreſtariorum atque Zeidlariorum.*

inſtauraretur. Quem indicem ex antiquo libello membranaceo, qui quaſdam res Norimbergenſes ſaeculi XIII et XIIII complectitur, deſcriptum huc transferre uiſum eſt.

| *Hi Foreſtarii iurarunt:* | *Hi Zeidelarii iurarunt:* |
| --- | --- |
| *Stromaier* (i. e. VValdſtromer.) | *VVigel de Nouo foro.* |
| *Ot* (Koler) *Vorſtmeiſter.* | *Hermann Diabolus.* |
| *Chunrad* (VValdſtromer) *Venator.* | *Fridericus Holzſchuher.* |
| | *Ebetlin.* |
| *Chunrad de Richolsdorff.* | *Ch. de Rotenbach.* |
| *Chunrad Beſcherer.* | *Henr. de Aych.* |
| *Friz de Eyvvach.* | *Henr. Creuz de Roetenbach.* |
| *Hermann Schilher.* | *Hermann de Vbigſteten.* |
| *Hermann Schotte.* | *Chunrad Stoer de Bilnreut.* |
| *Hermann Vnger.* | *Rebvvin de Vlnſteten.* |
| *Goez de Sternzagelshoue.* | *Ot Friz de Diprechſtorff.* |
| *Leopoldus de Sternzagelhoue.* | *Bercht de Birntal.* |
| *Friz de Heymdorff.* | *Heinr. Hutte de Fiucht.* |
| | *Rudeger de Nezſtal.* |
| | *Heinr. Regſeman de Fiuil.* |
| | *Simon Zidelmaiſter.* |
| | *Goez de Rotenbach.* |
| | *Heinr. Nebeler.* |
| | *Marckmulner de Vlſteten.* |
| | *Vlr. Zorn de Moſpach.* |
| | *Herman Vende.* |

## XXII.

*De cenſu annuo mellificii.*

Reuertimur ad *Butigularium*, qui quin reditus quoſdam fiſco Caeſareo debitos in hoc territorio curauerit, collegeritque, nihil dubitamus. Debuerunt ſaltuarii, ſiue *foreſtarii*, annuum cenſum pendere Imperatori et Imperio; pendere debuerunt et *Zeidelarii*. De his, in *Sanctione Carolina de Zeidelariis A.* 1350 *edita*, haec legimus: Es ſoll auch jeder Zeidler von ſeinen Guten

Guten geben ſein Honig-Geld uns und dem Reiche / als von Alter an uns herkommen iſt / oder dem / der es von uns und dem Reiche innen hat. *Butigliarii* etiam alias fuiſſe, exigere cenſus et penſiones, uel illud argumento eſt, quod Conradus, Rex Romanorum, eidem anno CIↃ CC XLIIII iniunxerit, ut Cunradum Rothium, *Procuratorem Monaſterii Norimbergenſis Nudipedum*, ab omni exactione immunem haberet. Vnde euenit, ut tunc maxime *Butigulariorum* poteſtatem ceſſare cœpiſſe obſeruemus, ubi reditus imperiales ex *mellicidio* aliis coeperunt oppignorari. Eius generis reditus alibi etiam *mellificia*, uel *iura mellificii*, item Germanicae Honig-Gülde / Honig-Gelder /, et nomine nobis alias incognito, Koſſetin conſueuiſſe appellari, animaduertimus. Ita e. gr. locutus eſt Theodoricus, *Landgrauius Thuringiae, et Marchio Orientalis et Luſatiae*, in priuilegio, quo anno CIↃ CC XCVI *Monaſterio Doberlucenſi* confirmauit *mellificia*, et *debitores* eorum, in *Neo et Palaeo-Boren. Fideles noſtri*, inquit, *Iohannes et VVitigo fratres, et milites, dicti de Sunnebalde, in duabus uillis* — — — *mellificiorum iura et eorum redditores, qui dediti dicuntur, cum omnibus attinentiis, Eccleſiæ in Doberling, in perpetuum nomine Eleemoſynae liberaliter donauerunt.* Quae uerba in coaeua *uerſione* hunc in modum Germanice redduntur: Unſer getrewin / Hanß und Wittichen / Gebrüder / Ritter / genandt von Sunnen-Walde / haben die Honig-Gülde / und alle die Honig-Geldere / die da Koſſetin genandt ſin / die ſi gehat haben in den zwen Dörfrin / Nuwin-Boren und Aldin-Boren / mit alle iren Zugehörungin / der Kirchen zum Dobirluge in dem Namen eines Allmoſen lediglich gegeben. ꝛc. (61) Vnde deriuetur nomen illud Koſſetin / uix habeo, quo me coniectura ducat; niſi ſuſpicer Kaſſetin uel Caſſetin / dici debuiſſe, quaſi deſcenderit a *caſſa*, uel *caſſadile*, h. e.



(61) Vid. Luduuigii *Reliquiar. Diplomat.* MSCT. T. I, p. 169, ſeqq.

*le*, h. e. a *ſacculo* et *marſupio*, in quo reponebatur pecunia; aut potius hic reſpici *Caſatos*, i. e. eos, qui in ruralibus poſſeſſionibus ſeruiebant, et certos reditus cenſusque pendebant; qui in eiusdem Theodorici Landgrauii diplomate Latino appellantur *dediti.* (62) *Dediti* autem, uel *datitii*, dicebantur incolae praediorum ad colendum conceſſorum. Sed haec, cum ad res Norimbergenſes non ſpectent, non niſi ὡς ἐν παρόδῳ attingere uolui. In Norimbergenſibus documentis illi reditus ſimpliciter uocantur, **Honig-Gelder.** Redituum illorum ex *mellicidio* Imperio debitorum fit etiam mentio in ueteri membranaceo *cenſuali libello*, qui nuncupatur Salbüchlein. (63) **Das ſind die Güter zum Reich gehörend / auf die Burg zu Nürnberg — — — So iſt das das Hönig von demſelben Walde / do gehört und hundert Geſchock und vier und zweinzig Geſchock / der iſt nicht mehr ledig dann an zway vierzig Geſchock / die auf die Purgk dienet. Von dem Walde / der zu dem Herolzberg gehöret / dienet auf die Burgk zu Nürnberg ſechs und vierzig Geſchock / der iſt nicht mehr ledig / dann vierzehen Geſchock. ꝛc. — — — Die Weyden und Parekſtein gültet ſieben Aymer Hönigs.** Praeterea inuenimus, penſionem annuam ex praediis mellicidarum etiam per alia menſurarum genera factam eſſe. Ita, anno 1409, in *antiqua formula uenditionis praediorum quorundam Feuchtenſium* legimus: **Ein Gut / das des Creutzers Erbe iſt / giebt jährlich 8. Maaß; und eines des Lohners Erb / giebt eben ſo viel.** Ita porro adhuc in literis, quibus Fridericus III, Imp. A. CIↃ CCCC LXII, quaedam praedia VValdſtromeris beneficiaria lege conceſſit, haec leguntur: **Die Güter zu Feucht: Herdegen giebt 2; Pröll auch 2 Schrott / und zu Mayach des Kreſſen Gut / ½ Schrott.** Vides, hic nominari **Eymer / Schock / Schrot und Maaß.** At uix hodie huiusmodi menſurarum

(62) Vid. Cangii Gloſſarium Latinum, ſub uoce *Caſatus*.
(63) Copie Brieſl. Urkunden in Sachen Nürnberg ꝛc.

rum ſatis certas tenemus rationes; quemadmodum neque illud prorſus liquet, utrum per *ſexagenas*, in *libello Salico* denominatas, certa pecuniae ſumma, an numerus lagenarum mellis, intelligatur? Sed et alibi alias mellis menſuras in annuo cenſu praeſtando olim uſitatas fuiſſe reperimus. Sic, in *Fragmento Breuiarii rerum Fiſcalium Caroli M.* (64) haec inter alia leguntur: *De melle ſiclus dimidius; de butyro Sicli II; de Sale modii V.* — Et paullo poſt: *Mel Mod. III de cenſu, Butyrum Mod. I.* Adhaec in *Regiſtro Bonorum Eccleſiae Prumienſis* A. CIↃCCXXII ſcripto: (65) *Praeterea ſciendum eſt, quod curia de Alue annuatim ſoluere debet quatuor ſextarios mellis; ſimiliter curia de Sefferne, et curia de Morlebach duas. Similiter curia de Selrihc et Olmeze. Illud mel ſoluitur de inuentionibus apum in ſiluis Eccleſiae, et de melle iſto conficitur claretum.* Sic et in Ottonis I Diplomate *Sanctimonial. Quedlinburgenſibus* A. 937 dato, *ſituli maiores mellis* memorantur. Interim non dubitamus, quin *mellicidae* Norimbergenſes ſaepius non tam ipſum mel ex annua penſione debitum, quam eius pretium determinatum, ſoluere neceſſe habuerint; maxime, ubi Imperatores non ipſi amplius Norimbergae commorarentur, neque eisdem uſu mellis opus eſſet. Quemadmodum uero Imperatores aliquando hos reditus ex mellicidio Norimbergenſi, et ex praediis mellicidarum prouenientes, uel ex parte, uel in uniuerſum, aliis pignori expoſuerint, poſtea ediſſeremus.

## XXII.

*De extraordinariis miniſteriis a Butigulario praeſtitis.*

Haud transmiſit ad nos ea documenta aetas maiorum noſtrorum, ut ex iis ſingulas partes officii et iurium *Butigularii Norimbergenſis* plene explicare poſſimus: illud uero non obſcurum eſt, Imperatores eidem non raro uelut extra ordinem negotia quaedam expedienda commiſiſſe. Illuſtre eius rei exemplum

(64) Hoc Breuiarium Caroli M. ex Codice MSCto uetuſtiſſimo Helmſtadienſi deſcriptum exhibetur in *Leibnitii Collectaneis Etymologicis*, P. II, p. 319.

(65) Ibidem, p. 448.

emplum in hiſtoria Bambergenſi nobis ſuccurrit. Poſtquam enim Poppo, XVI Epiſcopus Bambergenſis, uaria bona atque iura abalienauerat ab *Epiſcopatu Bambergenſi;* ea reſtitui uoluit Fridericus II, Imperator, teſte diplomate, anno CIↃCCXLII dato; *(66)* eiusque cauſſae *procuratores*, et, hodierno loquendi more, uelut *Commiſſarios*, conſtituit *Ramungum de Cammerſtein, et Marquardum, Butigliarium Norimbergenſem.* Quam rem Hoffmannus, ſcriptor rerum Bambergenſium, ad A. CIↃCCXLIII, his uerbis commemorat: *Fridericus, Imperator, eodem menſe Iunio, ad reuocandas, quas tempore transgreſſionis ſuae Poppo ab Eccleſia abalienauerat poſſeſſiones, Ramungum, Comitem Naſſouium, qui Cammerſteini, prope Suauacum oppidum, tunc temporis regiam habebat, et Cammerſteinius inde dicebatur, ac* MARQVARDVM BVTTIGLARIVM NORIMBERGENSEM, *procuratores conſtituit, uiros tam iuſtitia, quam ſeueritate, inſignes, et cum certis mandatis ad recipiendas a creditoribus obligationes in ſingulas ciuitates dimiſit* — —. *His obedituri literis Cammerſteinius et* Butiglarius *ſingulas civitates adierunt, et cum earum Praetoribus collocuti, ut ſe praeceptis ſuper hac re datis obſecuturos iurarent, euicerunt.* (67) Talia uero miniſteria cum Imperatori et Imperio praeſtarent *Butiglarii Norimbergenſes;* minime latet, quae et qualis dignitas eorum fuerit atque auctoritas? Neque parum *Marquardum* illum *Butigliarium*, de quo modo diximus, opibus ualuiſſe, neceſſe eſt, cum, referente eodem Hofmanno l. c. Poppo Epiſcopus etiam ipſam Vrbem, *Babenburgum*, eidem oppignorauerit. Quo et illud pertinet, quod apud Auentinum (68) legimus, temporibus Friderici II, Imperatoris, *Putruglerium Norimbergenſem*

(66) Vid. *Mantiſſ. Docum. III.*

(67) Inter Scriptores rerum Epiſcopatus Bambergenſis a Dn. Luduuigio editos, *T. I, p.* 160, *et* 161.

(68) Auentinus, Annal, Boiorum Lib, VIII, Cap, IV, §. 22. p. 461.

*ſem* (*Buttuglerium*, exſcribi debuit) cum ducentis equitibus aduenisse uſucapturum uindicaturumque ſibi Nitunum Nariſcorum Sacerdotium, (ſiue potius, ut interpretandum puto, eius ſacerdotii *Aduocatiam*) quod a Sigefrido, Epiſcopo Reginoburgenſi, ipſi tributum, Albertus Beham, Decanus Bathauenſis, Henrico Popponi, Scribae Ducis Bauariae, potius deferendum contenderat.

## XXI.

*Vnde Butigularius Norimbergenſis proprie hoc officii nomen adeptus ſit?*

Haec ſunt illa iura atque munia *Butigularii Norimbergenſis*, quae hactenus ex indicio documentorum ueterum licuit exponere; cetera, partim plurium teſtimoniorum auctoritas in poſterum proferet in lucem, partim ex iis, quae praeterea iam afferemus, poterunt colligi. Nihil fere in maiorem uidetur incurrere difficultatem, quam ipſa nominis huius ratio. Sunt enim, qui nomen *Buticularii* Franciae, et *Butigularii* Norimbergenſis, ex iisdem fontibus fluxiſſe putent; ſunt, qui diuerſas utriusque uocis origines quaerant. Huiusmodi dubias opiniones complectitur Martinus Hofmannus, in *Annalibus Bambergenſibus*, qui ad Annum cIↃCCXLI, hac de re diſſerit. *Butigliarius*, inquit, *in Anglica et Hibernica lingua pincerna uocatur; unde familia* Butlarorum *apud illos adhuc hodie eſt celebris, qui olim honorarii fuerunt Hiberniae Pincernae. Sicut Guil. Complenus (* Camdenus, exſcribi debuit*) in ſua Hibernia notat.* (69) *An autem* Butiglarius, *cuius in antiquiſſimis literis et diplomatibus ſaepius fit mentio, inde, vel aliunde, nomen habeat, multi dubitant? Communi opinione notum eſt,* Butiglarios *adeptos fuiſſe nomen ab officio, cui praeficiebantur ab Imperatoribus, cum adhuc delecta-*



(69) Guil. Camdenus, in *Hibernia*, ubi agit de Ormondia, certo Hiberniae tractu, ita ſcribit: *Ormondia ex clariſſima* Butlerorum *familia duodecim Comites numerat a Iacobo I, quem Edvvardus III eo honoris euexit, cuius maiores iam olim honorarii erant Hiberniae* Pincernae, *unde illis hoc nomen* Butler *impoſitum.*

*lectarentur apibus in ſiluis, ut ſcilicet eſſent praefecti mellicidarum, uulgo* Triebel-Meiſter. *Hinc etiam nomen habet iudicium mellicidarum*, das Triebel-Gericht. *Quale adhuc hodie in oppido Cronacenſi et plerisque aliis locis quotannis obſeruari ſolet.* Quae Hofmannus de nomine Germanico, (Triebel-Gericht) ibi commentatur, ea nobis minus liquere fatemur: interim inde obſeruamus, utique non nullos, cum forte animaduerterint, iudicium mellicidarum Norimbergenſium ſubiectum fuiſſe ſuperiori poteſtati iudiciariae *Butigularii*, eo deueniſſe, ut opinati ſint, hunc non fuiſſe, niſi primarium mellicidarum Praefectum, (des Reichs-Ober-Zeidel-Meiſter / oder Ober-Zeidel-Richter) et fortaſſe nomen ſuum ab obſoleta quadam uoce, quae ad mellificium ſpectauerit, traxiſſe. Quo refero quodammodo Auctorem antiqui *Vocabularii*, typis exſcripti Norimbergae per Cunradum Zeningerum, anno CIↃCCCCLXXXII, ubi non ſolum nomen Zeidler / per *apium magiſtrum*, ein Weyſel; ſed et Zeidel-Meiſter / per *Putiglarium*, interpretatur. Cui interpretationi ſpeciem quandam afferre poterat antiqua uox Celtica, ſiue Germanica, BYDA, *aluearium;* unde fortaſſe non ſolum, Bude / uel Bute / ſiue potius Beute / uel Peute / (quo nomine adhuc Caroli IV aeuo itidem *aluearium* notabatur; (70) ſed et ipſum nomen *Butigularii* deſcendiſſe uideretur, quaſi is ab initio dictus, qui *aluearia* tractauerit; deinde id nomen non haeſerit niſi in primario *mellicidarum* Praefecto. Verum, ſi conſideremus, multo latius patuiſſe muneris *Butigularii* rationes, quam ut eas ſolis iuribus et muniis *mellicidii* adſtrictas fuiſſe cogitemus; nobis ſaltem haec interpretatio nec dum ſatisfacit. Sed neque eſt, ubi certum pedem figamus, ſi cum non nullis hariolari uelimus, hoc uocabulo priſcis temporibus non niſi

(70) Vid. *Mantiſſ. Docum. XII.* Es ſoll auch jeder Zeidler hauen / was er zu den Peuten bedarff. Conf. *Specimen Gloſſarii Celtici, inter Leibnitii Collectanea Etymologica*, p. 100.

niſi generatim *Iudicem* deſignatum fuiſſe; quaſi referri potuerit ad nomen *budingum*, quod Cangius ex charta quadam Henrici III, Imp. *placitum* et *iudicium* interpretari uidetur; uel ad nomen *buthenae*, uel *bothenae*, quod, teſte Buchanano, apud Scotos notauit *territorium*, *uel diſtrictum Domini;* aut forte ad alias huius generis uoces antiquas, et nobis adhuc incognitas. Potius itaque, ſi quidem opinionem noſtram, coniectando rem uetuſtate fere obrutam, pace aliorum, interponere licuerit, exiſtimemus, nominis *Butigulariorum* Norimbergenſium eandem fuiſſe originem, eandemque generatim primaeuam notionem, quae fuit nominis *Buticulariorum* Franciae. Cui ſententiae nihil poſſe puto obſtare uariam in una alteraue litera eius nominis ſcribendi rationem; utpote qua mutatione, inter homines aut priſcae originis huius uocis non ſatis naros, aut uocabulorum ſcripturam ad ſuam pronunciandi conſuetudinem accommodantes, progreſſu temporis nihil fieri potuit facilius. Neque adeo *Butigularium* Norimbergenſem alium fuiſſe deprehendimus, niſi, in hoc regio et imperiali territorio, Imperatoris et Imperii Miniſterialem, uelut *Pincernam prouincialem* dictum: non, quod idem, quae quorundam eſt opinio, ad hereditarios Imperii *Sub-officiales* poſſit referri; ſed, quod fortaſſe hoc officii nomen ex priſtina et iam Carolingico aeuo uſitata, poſtea tamen uariis in partibus mutata, terrarum Regii iuris adminiſtrandarum ratione traxiſſe uideatur. (71) Sic enim non ſolum, (ſi quidem maiora

 licet

(71) Credideris, ab illa ipſa adminiſtrandi ratione, et ab eiusmodi *miniſterialibus*, datam fuiſſe occaſionem, ut deinceps etiam in *Ducatibus ac Principatibus* extiterint *Miniſteriales Prouinciales*, (Dienſt-Herren) uariis huiusmodi nominibus appellati, et tandem hereditario iure ſuam quisque dignitatem conſecuti, qui in partem curandae Reipublicae uenirent, et aliis rerum adminiſtris per prouinciam leges darent; quos a miniſterialibus Principis, aut prouincialium, recte diſtinguendos oſtendit Dn. Ludvvigius, in *Praefat. ad T. IIII Reliqu. medii aeui*, *p.* 12. Neque uero illos miniſteriales prouinciales *Ducatuum* atque *Principatuum* ubique iisdem nominibus inſignitos deprehendi-

licet cum minoribus comparare,) illi inferiores et uillici miniſteriales, in uillis Regiis, ſub *Seneſcalcorum*, *Dapiferorum*, *Scanzionum*, ſiue *Buticulariorum*, *Mariſcalcorum*, ſimilibusque nominibus, miniſterio ſuo perfungi ſunt ſoliti; (72) ſed etiam *Miniſteriales* Comitatuum, et Prouinciarum, ac Ciuitatum Regiarum, paribus identidem appellationibus inſigniti diſtinctique reperiuntur. Imo, et ipſi ſummi aulae Proceres, qui non ſolum ſuperiora aulae miniſteria, ſed etiam, ſub auſpiciis Regis, totius Regni negotia curarunt, (73) pro diuerſorum munerum rationibus, teſte Hincmaro, appellati ſunt: u. g. *Apocriſiarius*, *ſummus Cancellarius*, *Camerarius*, *Comes Palatii*, *Seneſcalcus*, *Buticularius*, *Comes Stabuli*, etc. Haudquaquam uero inſolens uideatur, hunc ipſum *Butigularium*, ſub *Pincernae* prouinciae imperialis nomine, etiam eius generis curaſſe atque adminiſtraſſe iura, quae ſupra enumerauimus, ita, ut e. g. ex auctoritate Imperatoris, ſiluae et mellicidii Magiſtris praeceperit atque ius dixerit, curaritque certos Imperii reditus; cum ſupra, *pag.* 16, oſtenderimus, *Buticularios* non ſolum ſub *Carolingicis* Regi-

hendimus. Sic Paullinus, in Annalibus Iſenacenſibus, p. 18, ex antiquo *Chronico* refert, Lotharium, Imperatorem, Ludouicum, Generum ſuum, A. 1125, Principis nomine ornatum extuliſſe, et Landgrauium Thuringiae conſtituiſſe, eique dediſſe *officiales hereditarios*, nobiles nempe Vargulanos, *Pincernas*; Slothemios, *Dapiferos*; Ebergios, *Marſchallos*; a Vanne, *Camerarios*; et Kirchbergicos Comites, *Burggrauios*. At ſupra, *p.* 8, oſtendimus, in *Ducatu Gelriae* conſtitutos fuiſſe miniſteriales: *Oeconomum*, *Mareſchallum*, *Buticularium*, *et Camerarium*. Praetereo alia huius generis exempla.

(72) Ita e. g. in *Pacto Legis Salicae*, *Tit. XI*, *leg. VI*, ex egregia editione Dn. Eccardi, *p.* 18, conſtitutum eſt: *Si quis Maiorem* (Maitre d'hôtel) *Infertorem*, (Dapiferum) *Scantionem*, (Buticularium) *Mariſcalcum*, *Stratorem*, - - - *uel alium miniſterialem furauerit, aut occiderit, uel uendiderit ualentem Sol. XXV - culpabilis iudicetur, excepto capitale et delatura.*

(73) Hoc teſtatur Hincmarus, *Epiſt. III*, *cap. XVII*. *Totius*, inquit, *Regni confoederatio, in maioribus uel minoribus, ſingulis quibusque quotidianis neceſſitatibus occurrentibus, cum Palatio conglutinabatur; ſed nec ipſi ſuperiores miniſteriales omnes aequaliter propter miniſteriorum diuerſitatum qualitatem, uel conuenientiam, prodeſſe poterant*, etc.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/56
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft

Regibus atque Imperatoribus aliquando res ad ſiluas pertinentes curaſſe, et de uoluntate ac mandato Regis *uenatoribus*, *falconariis*, et aliis Miniſterialibus, aliquid faciendum omittendumue praecepiſſe: ſed etiam ſigillatim *Buticularios Franciae*, aeuo ſubſequente, plura alia exercuiſſe iura. Aliis igitur expendendum relinquimus, annon fortaſſe ex eadem origine olim etiam in inclyta et Imperiali Ciuitate Rotenburgenſi, Imperatoris et Imperii Miniſteriales, qui itidem ibi iura cumprimis atque *regalia imperialia*, ſaluis Magiſtratus ciuilis iuribus, curarunt, appellati ſint BVDIGALI; quamuis non utrobique prorſus par fuerit adminiſtrandi ratio? Ita uero ibidem *Domini de Brauneck*, *Pincernae de Limpurg*, *Magiſtri Coquorum de Nordtenberg et Seldeneck*, aliique, priſcis temporibus dici ſcribique conſueuerunt, des Reichs Budigallen von Rotenburg. Quid autem non putemus, potuiſſe etiam Imperatoris et Imperii miniſteriales, in terris Regii et Imperialis iuris, ſub nominibus *Buticulariorum*, aut *Dapiferorum*, ſimilibusque, uaria iura adminiſtrare, et aliis ius dicere; cum, quod iam alibi demonſtratum eſt, ſaepe etiam in *Ducatibus*, atque *Principatibus*, *Officiales Ducum* atque *Principum*, ſub eiusmodi nominibus talia iura adminiſtrarint. Quo illud adhuc pertinet, quod Meibomius, in notis ad *Chronicon Comitum de Marca* monet, olim aliquando et *Dapiferos ſimul adminiſtratores redituum et fiſci fuiſſe; talesque Dapiferos (Truchſeſſen) eſſe etiam in quibusdam locis Palatinatus, ut apud Simeram, Crucenacum, Kirchbergam.* (74)

## XXII.

Sequitur, ut nunc nomina quorundam, qui *Butiglarii Norimbergenſes* dicti ſcriptique ſunt, ex antiquis documentis adhuc cognita, recenſeamus; at aegre ferimus, pauciſſimis, pro more

*Catalogus quorundam* Butiglariorum Norimbergenſium.



(74) Meibomius, *T. III Script. rerum German. p.* 417.

more iſtius aeui, cognomina familiarum addita reperiri. Commemorantur uero nominatim:

CVNRADVS, *Putiglarius Imperatoris de Nurnberg* (75)

MARQVARDVS, *Butigliarius de Nuremberga*, anno 1240, 1241, et 1243. (76)

LVIPOL-

(75) Huius *Conradi* fit mentio in *diplomate Friderici II*, *Regis Romanorum*; cuius diplomatis particulam ex *Schedis Bachelbelianis* ſupra *pag.* 26, attulimus. Et quamquam annus diplomatis ibi non ſit annotatus; haud dubitamus tamen hunc *Conradum* inter *Butigularios Norimbergenſes* nobis hucusque ex antiquis documentis cognitos, primo loco ponere; cum minimum iam ante annum CIƆ CC XXI floruiſſe uideatur; propterea, quod Fridericus ibi adhuc ſcribitur *Rex Romanorum*; utpote demum A. CIƆ CC XX, menſe Nouembri, Romae Imperator coronatus.

(76) Huius Marquardi, *Butigliarii Norimbergenſis*, mentio fit, in *Docum. I Mantiſſ.* ubi inter teſtes alios, Diplomati Conradi, Regis Romanorum, filii Friderici II, A. 1240, nomen ſubſcripſit. Deinde, in Formula *Donationis* ab *Vlrico de Kunigſtein* factae, et ſupra, *p.* 20, citatae: ubi, eodem anno, inter adſcriptos teſtes, et *miniſteriales* Imperii, dicitur *Marquardus Butigelarius de Norimberc.* Deinde idem commemoratur, in Hofmanni *Annalibus Bambergenſibus*, ad annum 1241, et 1243, inter ſcriptores rerum Bambergenſium, *T. I*, *p.* 160; itemque in alia formula, qua *Vlricus de Kunigſtein Monialibus Vallis Angelicae* praedium *Svvina* A. 1243, donauit. - - - *Teſtes*, *uenerabilis Abbas de Kaſtel*, *Burchardus Decanus de Happurch*, MARQVARDVS BVTIGVLARIVS *apud Noremberc*, *Henricus*, *filius eius*, *dictus Faber*, *item Iordanus*, *filius eius*, *Bruno de Norimberc*, *Marquardus de Brunsbach.* Equidem eodem loco Hofmannus ad annum 1245 etiam iſta ſcribit: *Interim plurima officia*, *feuda*, *et poſſeſſiones*, *inprimis uero Koenibergum*, *Caſtrum et oppidum*, *et Babenburgum*, *ad Eccleſiae* (*Bambergenſis*) *reditus acceſſerunt.* *Quam ob cauſſam Rauclinus*, *Baro Rauenſteinius*, CONRADVS BVTIGLARIVS, *Wolframus*, *Dapifer*, *et plures alii*, *Conradum Regem*, *Friderici filium*, *regni Hieroſolymitani heredem*, *cum Norimbergae eſſet*, *adierunt*, *et*, *ſibi de reſtitutione pignorum ſatisfactum*, *palam profeſſi*, *eorum ſe poſſeſſionibus abdicarunt.* Ex quibus uerbis praeſumas, illo tempore floruiſſe et alium *Butiglarium Norimbergenſem*, CONRADVM dictum; at fieri potuit, ut Hofmannus in hoc nomine ſcribendo errauerit; cum omnino antea retulerit, Vrbem Babenburgum *Marquardo*, *Butiglario Norimbergenſi*, a Poppone Epiſcopo Bambergenſi fuiſſe oppignoratam; quam ab eodem etiam, illo anno adhuc ſuperſtite, Epiſcopatui fuiſſe reſtitutam, credibile eſt; niſi exiſtimemus, Patri forte mox mortuo, filium, alium

CON-

LVIPOLDVS, IMPERATORIAE MAIESTATIS *Buttigelarius*, A. 1246. (77)

HERMANNVS, *Buttuglarius*, Gener Waltheri, *Pincernae de Klingenburg*, A. 1260. (78)

HENRICVS DE LAPIDE, *Buttiglarius in Nuremberc*, anno 1264. (79)

VVINHARDVS DE REOBACH, *Buttigliarius de Nuremberg*, A. 1266. (80)

O. (forte ODO, uel OTTO) *Butigliarius de Nurenberg*, A. 1281. (81)

CHVNRADVS BVTTVGLERVS, dictus DE KVRENBVRCH, anno 1282. (82)

CHVN-

CONRADVM, in eadem *Butigliarii Norimbergenſis* prouincia fuiſſe ſurrogatum.

(77) *Luipoldi Buttigelarii* nomen ſic ſubſignatum uideas, in *Docum. III Mantiſſ.*

(78) *Hermannus Buttuglarius* commemoratur inter teſtes antiquae formulae, qua Walther Schenck de Klingenburg *Cuenobio Vallis Angelicae* quaedam praedia Henfenfeldenſia donauit - - - *Teſtes autem hi ſunt: Dominus Hermannus, Buttuglarius, gener meus; Henricus dictus Turrigel, miles; Conradus Vorchtelinus; Vlricus Chrumpſite, et Ortlibus, Ciues Nurenbergenſes, et alii quam plures. Acta ſunt haec Anno Domini Milleſimo Ducenteſimo ſexageſimo, IX Kalend. Martii.*

(79) Nomen *Henrici de Lapide*, ſiue Heinrich von Stein/ occurrit in formula, qua ipſe *Monialibus Mariae Magdalenae*, A. 1264. ceſſit quibusdam praediis Eybachenſibus: *Ego Henricus de Lapide, Buttiglarius in Nuremberc, etc. - - - Datum et actum anno Domini* cIↃ CCLXIIII, *quarta Kal. Marcii.*

(80) *Winhardus de Reobach, Buttigliarius de Nuremberg*, nominatur, in *Docum. IIII Mantiſſ.* ubi ſimul nomen *Henrici de Lapide* occurrit, qui forte duos ante annos partes *Buttigliarii* obierat; nunc uero poſt Winhardum *Butigliarium* collocatur.

(81) Otto, *Butigliarius Norimbergenſis*, occurrit in *Docum. V Mantiſſ.*

(82) *Chunradus*, *Buttuglerus*, nominatur in literis de aedibus eius Conrado Pfinzing uenditis: *Sifridus et Eberhardus, dicti Ebener, Wernherus dictus Nuzel, Gotfridus Mumler, Marquardus Zicher, et ceteri Ciues Norimbergenſes, quibus Dominus Chunradus Buttuglerus, dictus de Kurenburch,*

CHVNRADVS, MILES DE CVRNBVRCH, quondam *Butiglarius in Nurmberg*, A. 1288. (83)

## XXIII.

*Quando ceſſare coeperit munus* Butigulariorum Norimbergenſium?

Quouſque nomen et dignitas *Butigulariorum* in hoc tractu uiguerit, cum ex indice eorum, quem modo contexuimus, tum ex diplomatibus antiquis, non difficile eſt, coniicere. Quam mutationem ad certum temporis momentum reſtringere uix licet. Quemadmodum enim etiam ſuperiores Imperii ordines maximam partem non niſi ſenſim pleniora αὐτοκρατορίας iura ſunt conſecuti, remotis ex *Ducatibus* praecipue Palatinis prouincialibus, qui uice Caeſaris ibi ius reddiderant, Caeſareumque procurarant cenſum; ita conſtat, etiam Magiſtratui Ciuitatum, ob praeſtitam fidem, et recta merita, itemque non exigua onera, per gradus eiusmodi libertatem pleniorem obtigiſſe, imminutis primum, deinde prorſus ſublatis, Miniſterialium imperialium adminiſtrandi rationibus. Equidem NORIMBERGAE iam a primo ortu ſuo attributa fuere certa iura in ſiluis circumiacentibus, in quibus praedia *Foreſtariorum* et *Zeidlariorum* ſita ſunt. Id in diplomatibus antiquis non obſcure innuerunt ipſi IMPERATORES Glorioſiſſimi; qui hanc Vrbem in ipſa ſilua conditam et cum ſilua coniunctam eſſe, teſtati ſunt; quique id ſemper cauerunt, ne ſilua

*renburch, in debitis quibusdam fuit obligatus, in figura iudicii comparuerunt, probantes dimidiam partem curiae praedicti C. Buttugleri inferiorem, in Coemeterio S. Egydii ſitam, ex quadam pecuniae quantitate ipſorum pignus exiſtere, etc. Datum A.* 1282, 15 *Kal. Iulii.*

(83) Filius cognominis antecedentis *Chunradi* deſignatur in *Docum. VI Mantiſſ.* Ad quem forte etiam referendum, quod in antiquo *Necrologio Fratrum ordinis Minorum*, qui tum fuere Norimbergae, legitur: A. 1313, d. 1 Aug. *obiit Conradus de Kornburg, miles, quondam Butigliarius in Nurmberg.* Ex hoc autem indice *Butigliariorum* Norimbergenſium intelligimus, hoc ipſum officium nequaquam hereditario quodam iure in una eademque familia haeſiſſe, cum ne quidem qui huic ſpartae praefecti erant, eidem ad finem uitae praefuiſſe uideantur; quamuis aliquando et filii in Patrum bene meritorum locum ſint admiſſi. Deinde et illud hinc obſeruamus, hoc munus non niſi uiris

ſilua in detrimentum Vrbis huius deſtrueretur, aut alienaretur. (84) Sic Henricus VII, Imperator, anno cIↄ CCCX, praefectos ſiluae, ceterosque ſaltuarios, et mellicidas, remiſit ad Senatum Norimbergenſem, ut in cauſſis dubiis controuerſisque eius conſilio atque auxilio uterentur, utque coram *Sculteto et Conſulibus Norimbergenſibus* iuris iurandi religione promitterent, ſe curaturos, ut ſilua Norimbergenſis a quinquaginta circiter annis nimis uaſtata et in agros exciſa, in priſtinum ſtatum redigeretur. (85) Huc adeo pertinet *Catalogus iuratorum Saltuariorum atque Mellicidarum*, quem ſupra, *p.* 44, exhibuimus. Haec mandata non ſolum repetebant confirmabantque ſequentes Imperatores; ſed etiam Senatus Norimbergenſis iura in ſiluis augebant, eiusdemque inſpectioni, arctiori uelut ratione, committebant ſubiciebantque apiarios, ſiue *millicidas*, item et ſaltuarios, ipſosque ſiluae praefectos. Sic extat Ludouici Bauari, Imperatoris,



ris praeclarae et conſpectae dignitatis fuiſſe concreditum, cum aliquando milites, i. e. nobiles, uocentur. Inter quos et nonnulli fuerunt, qui in ipſa ciuitate Norimbergenſi eminuere.

(84) Haec ſententia fuit Caroli IV, Imp. ubi in Diplomate Spirae anno cIↄ CCCLIII, pridie feſti S. Andreae Apoſtoli, dato, in haec uerba reſcripſit: Wann die Wälde gelegen bey Nürnberg / beyderley ſeit der Pegnitz / ſehr und ſchwehrlich verwüſtet ſeyn und verwüſt werden täglichen / davon wir und das Reich / und ſonderlich die Stadt zu Nürnberg / die von Alter damit iſt geſtifftet worden / groſſen Schaden empfangen hat / ꝛc. Et tribus annis ante idem Imperator, cum A. 1350, die S. Georgii, Iura Norimbergenſium in ſiluis confirmaret, hunc in modum locutus eſt: - - - Wir thun ihn dieſe beſondere Gnade / daß die Wald und der Forſt / die bederſeits des Waſſers der Pegnitz gelegen ſind bey Nürnberg / es ſey an Waſſer / Wände / Holtz / Fürreiten / Nutzung und mit aller Zugehörung / bey der Stadt zu Nürnberg ewiglich und ungehindert bleiben ſollen / mit allen Rechten / Freyheiten / guten Gewohnheiten / als ſie von Alter / von Römiſchen Käyſern und Königen / unſern Vorfahren ſeligen / und auch von uns / hergebracht und kommen ſind. ꝛc. Tranſeo alia, nec repeto nunc HENRICI VII, et LVDOVICI Bauari, Imperatorum, diplomata eandem in ſententiam ſcripta.

(85) Vid. Goldaſti *Conſtitut. Imperial.* T. I, p. 319.

toris, *conſtitutio* anno CIↃ CCCXXXI promulgata, in qua ſequentia uerba legimus: Alle Amptleut/ Forſter/ und Zeidler/ auf beeden Wälden / jedweder halb der Pegnitze / wann man die fordert/ von des Raths wegen zu Nürnberg/ alle Jahr zu einemmal/ ſollen kommen auf den Rath/ und zu den Heiligen ſchweren/ zu behalten/ was dieſelben Burger zu Rath werdent / daß dem Reich und der Stadt gut und nütze ſey. Und ſollen auch rügen bey demſelben Eyde/ was demſelben Walde ſchädlich ſey. - - - - Wie auch der Wald des Jahrs von den Burgern beſetzt würd / hielten das die Amptleuth / Forſter / und Zeidler / oder wer zu dem Walde gehöret / nicht ſtet / oder überführen das / und wollten ſein nicht gehorſam ſeyn/ an welchen Articlen das wäre / die vorgeſchrieben / die ſoll ein Richter zu Nürnberg und die Burger von des Reichs wegen ſtraffen an Leib und Gut / nach dem / als ſie duncket / daß ſie verwürcket haben. (86) Eadem iura rata eſſe iuſſit Carolus IV, Imperator, pluribus in hanc rem Diplomatibus datis. (87) Nolo nunc alia ſimilis argumenti teſtimonia cumulare; cum uel ea, quae modo attuli, quodammodo poſſint eſſe indicio, ſpartam et poteſtatem *Butigliarii Norimbergenſis* iam tum non parum diminutam, uel ſublatam, uideri; propterea, quod talia quaedam iura alio translata animaduertimus, qualia credibile eſt magnam partem cum officio *Butigliariorum* coniuncta fuiſſe. Verum maior adhuc occaſio tollendae *Butigliarii* Norimbergenſis prouinciae aperta fuit, cum Imperatores reditus annuos ex mellicidio Norico ſibi et Imperio prouenientes aliis opponerent pignori. Cuiusmodi oppignorationis quaedam occurrunt exempla. Sic Carolus IV, Imperator, anno CIↃ CCCL, *Arnoldo de Seckendorff*, pro ducentis ſelibris argenti (vor 200 Marck löttiges Silbers) pignori obligauit reditus ex praediis mellicidarum

(86) Vid. *Mantiſſ. Docum. XI.*
(87) Vid. *Mantiſſ. Docum. XVI.* etc.

rum prouenientes, cum omnibus iuribus atque commodis, quae ad Imperatorem et Imperium pertinuerunt. (88) Vnde eueniſſe credo, ut *Zeidelarii* eo ipſo anno priuilegia ſua a Carolo IV, Imp. ſibi confirmanda petierint, ne forte per pignoris rationes periclitarentur. Pecuniam Imperatori creditam, cum, octo poſt annos, Seckendorffio reddidiſſet Albertus, *Burggrauius*, eosdem mellicidii reditus atque iura, conſentientiente Imperatore, itidem pignoris et hypothecae nomine ſuſcepit. (89) Porro, idem Carolus IV, anno cIɔ ccc LX, poteſtatem indulſit Senatui Norimbergenſi, ut, reddita pecunia, hoc ipſum pignus a Burggrauio in ſe transferret. (90) Adhaec, VVenceslaus, Imperator, anno cIɔ ccc XCVII uoluit, iuſſitque, ut pro quingentis florenis iſta iura et reditus mellicidii obligarentur *Herdegenio Valznero*, eadem quidem pignoris conditione, qua a *Burggrauiis* erant poſſeſſa. Num uero iſtud pignus iam eo tempore re ipſa, cum Norimbergenſes, tum Valznerus, in ſe transtulerint, tenuerintque aliquandiu, certo definire non poſſum. Hoc uero conſtat, *Burggrauios* rurſus anno cIɔ cccc XVIII Henrico Hutt, Ciui Norimbergenſi, pro nongentis *florenis*, et A. cIɔ cccc XXV, Franciſco VValdſtromero, pro mille et trecentis *florenis*, *iudicium Mellicidii* oppignoraſſe; (91) usque dum omnia illa iura ad Magiſtratum Norimbergenſem iuſtiſſimo titulo transferrentur.



(88) Formulam conſenſus Imperatoris exhibemus in *Mantiſſa Docum. XIIII.*

(89) Vid. *Mantiſſ. Docum. XV.*

(90) *Mantiſſ. Docum. XVI.*

(91) Sed inuenimus; iam etiam Sigismundum, Imperatorem, cum anno cIɔ cccc XVI, die proximo ante D. Thomae, literis clientelaribus Iohanni et Franciſo Waldſtromeris, fratribus, praedium Reichelsdorfenſe et alia quaedam bona deferret, confirmaretque, iisdem ſimul ius conſtituendi *iudicii Mellicidarum* his uerbis confirmaſſe: Item / die Lehenſchafft des Zeidel-Gerichts zu Feucht / da ſie auch einem jeden Richter von hant leyhen ſollen / das ſie von demſelben Gerichte haben / und dorzu vier Schrott Honigs daſelbſt / der der Herdegen zwey / und Pröll zwey / jerlichen geben; Item anderhalb Schrott Honigs von des Kreßen Gut zu Maypach ꝛc.

rentur. Non iam copioſius enarrabo, quemadmodum generatim iura *Aduocatiae prouincialis*, quantum quidem ad tractum Norimbergenſem ſtrictius dictum ſpectabant, ex Auguſtiſſimorum CAESARVM gratia ad Norimbergenſem Ciuitatem transierint; (92) de quibus iuribus *Aduocati* plura quidem exponere, et cum praeſenti argumento conferre, conſtitueram; at, rerum dicendarum nimis excreſcente copia, nunc fere prohibeor. Neque illud pluribus in praeſenti repetam, quod iam aliunde conſtat, iure emtionis, conſentientibus quidem et comprobantibus Imperatoribus Romanorum, A. CIↃ CCC LXXII, iura Kolerorum; et anno CIↃ CCC XCVI, iura VValdſtromerorum, quae tanquam praefecti ſiluae Laurentianae ab Imperatoribus nacti erant, ad Ciuitatem Norimbergenſem perueniſſe. Denique uero, etiam anno CIↃ CCCC XXVII, Sereniſſimus Princeps, Fridericus, Marchio Brandenburgenſis, S. R. I. Archi-Camerarius et Elector, atque Burggrauius Norimbergenſis, eiusdemque Familia Sereniſſima, iuſto uenditionis et partim pignoris liberati titulo, conuentoque pretio accepto, uti cetera iura et priuilegia, (paucis exceptis) quae in ſiluis Norimbergam ambientibus utenda fruenda habuerant ab Imperatoribus; ita ſigillatim etiam praedia *Zeidelariorum*, itemque iudicium atque omnia iura *mellicidii*, ſibi hucusque oppignorata, ad inclytum Senatum Norimbergenſem transtulerunt. Quod adeo ſigillatim ad res mellicidii attinet, de his in ſolemni uenditionis formula haec cumprimis uerba legimus: Darzu haben wir jn alſo abgetretten / verzigen / ein-und übergeben / all unſer Recht der Pfandſchafft an und auf dem Zeidel-Gericht / Zeidlern / Zeidel-Gütern und Hönig-Geld / zu Feucht / auch mit allen Ehren / Freyheiten / Priuilegien / Renten / Nutzen / Fällen / Dienſten / Zugehörungen / Gewohnheiten und Rechten / als

(92) Hoc argumentum perquam ſolerter luculenterque pertractum eſt in *Theſibus Peyerianis*, *de Aduocatiis Ciuitatum Imperialium Circuli Franconici*, *anno* CIↃ IↃ CCXXII *in hac Academia propoſitis.*

als unſre vordern und wir / das von dem Heil. Römiſchen Reich zu Pfandſchafft weiß / für zweyhundert Marck lötiges Silbers innegehabt / hergebracht / beſeſſen und genoſſen haben / daß wir jn auch / da wir es jetzund verſatzt haben / lediglich zu ihren Handen antworten ſollen und wollen. ꝛc. (93) Venditionem hanc et pignoris redemtionem, Sigismundus, Imperator, non modo eodem A. CIↃ CCCC XXVII, pro imperatoria auctoritate ſua, comprobauit; ſed etiam, ſexto poſt anno, nouis clementiae acceſſionibus confirmauit. (94) Silentio nunc praetereo ſequentium IMPERATORVM *Conſtitutiones*, quibus illa ipſa iudicii et praediorum *Zeidelariorum* iura, ad Magiſtratum Norimbergenſem iuſtiſſima ratione translata, utique rata eſſe iuſſerunt, nouisque iuribus locupletarunt. Inprimis autem memorabilis eſt *Conſtitutio* Friderici III, Imperatoris, qua, A. CIↃ CCCC LXXVI, eadem iura Conſulibus et Senatui Norimbergenſi in perpetuum conceſſa confirmauit, uoluitque, ut poſthaec iura et praedia *Zeidelariorum* a Senatu eiusque officialibus beneficiaria conditione peterentur, utque Conſules et Senatus Ciuitatis Norimbergenſis maleficia omnia, etiam in ſiluis et pagis commiſſa, ad ſuum iudicium uocare, atque pro merito punire, deberent. (95)

## §. XXIV.

*Quae facies et conditio iudicii Zeidelariorum adhuc hodie ſuperſit?*

Poſtquam adeo illa ſiluae Norimbergenſis iura ad inclytum MAGISTRATVM NORIMBERGENSEM, ipſa fauente Aſtraea, iuſte legitimeque peruenerunt, ſub feliciſſimo AVGVSTISSIMI ſemper IMPERATORIS Imperio, adhuc ibi florent *iudicia foreſtalia*, cum in ſilua Sebaldina, tum Laurentiana, auctoritate et legi-



(93) Huius uenditionis et translationis formulas exhibent Wagenſeilius, Lunigius, Copie der Brieflichen Urkunden in Sachen Nürnberg / ꝛc.

(94) Sigismundi Imp. Reſcripta, alterum ad confirmandam iudicii et iurium mellicidii Norimbergenſis translationem Albae Graeciae A. 1427 datum; alterum de Vico Feuchtenſi muniendo, anno 1433 Romae editum, proferuntur in Copia der Brieflichen Urkunden in Sachen Nürnberg / ꝛc. p. 57 et 58.

(95) Vide Diplomata et Documenta rebus Friderici III, Imp. illuſtrandis adiecta, inter Scriptores rerum German. a Schiltero editos. p. 306.

bus illuſtris MAGISTRATVS NORIMBERGENSIS conſtituta. Durat adhuc pari ratione *Iudicium mellicidii*, in cauſſis ad iura praediorum *Zeidelariorum* pertinentibus cognoſcendis atque diiudicandis; licet nomina *Butigliarii* et *Magiſtri mellicidarum* dudum receſſerint ex uſu, neque ea, quae olim floruit, cura et cultura apum in ſiluis Noricis ſuperſit. Quibus uero haec iudicia hodie adminiſtranda committantur, quo ordine celebrentur, et quae in iisdem peragantur; alii iam dexterrime expoſuerunt. (96) Hoc unum duntaxat hic non praetereundum duxi, eiusmodi praedia *Zeidelariorum*, quibus non poenitenda iura adhuc ſunt propria, in uniuerſum numerari *quinquaginta*; quorum quaedam *immediate iudicio mellicidii* ſubſunt; quaedam cum aliis coniuncta, iisque ad cenſum et *canonem* ſoluendum, aliaque onera praeſtanda, obnoxia, non niſi *mediate* eidem *iudicio mellicidii* ſubiiciuntur, neque iis iuribus atque priuilegiis, quae *immediatis* conceſſa ſunt praediis, fruuntur. Quae uero praedia *Zeidelariorum* habentur *immediata*, rurſus duorum ſunt generum. Non nulla enim horum habent praedia illa, quae diximus *mediata*, ſibi adiuncta, tanquam *filias*; unde ipſa dicuntur *Matres* inter praedia *Zeidelariorum* (Mutter-Güter) iisdem uero obnoxia praedia audiunt *filiae*, (Zeidel-Töchter.) Non nulla denique praedia ex *immediatis* deſtituuntur *filiabus*, ſiue aliis praediis ſibi adiunctis; unde appellantur *ſimplicia praedia Zeidelariorum*, (h. e. die einſchichtigen Zeidel-Güter.) Quae res, ut eo facilius planiusque intelligatur, uiſum eſt, non ſolum ſubiicere indicem Germanicum *praediorum Zeidelariorum*; ſed eadem etiam, in addita *Tabula Geographica*, certa nota deſignare.

INDEX

(96) Huc pertinent inprimis eruditae Diſſertationes, Dn. CHRISTOPHORI SCHEVRL *a Defersdorf*; prima, de *Iudiciis Reipublicae Norimbergenſis*, ſub praeſidio LINCKIANO, A. 1790; altera de *Iure mellicidii*, inaugurandi cauſſa eodem anno habita; itemque Dn. IO. SIGISMVNDI Schreiber / rc. *de Iudicio Caeſareo foreſtali Caeſareo*, A. 1711, propoſita.

# DESIGNATIO PRÆDIORUM ZEIDLARIORUM, QVÆ IN SYLVA LAURENTIANA NORIMBERGENSIUM SITA et hoc ſigno ♄ denotata ſunt.



Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/68
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

## INDEX PRAEDIORVM ZEIDELARIORVM, quae in ſilua Laurentiana Norimbergenſium ſita ſunt.

| | |
|---|---|
| Zu Feucht - - - - | 5 einſchichtige Zeidel-Güter.<br>2 Mutter-Güter.<br>9 Zeidel-Töchter. |
| Eybach - - - - | 2 Mutter-Güter<br>2 Zeidel-Töchter. |
| Diepersdorff - - - | 3 Zeidel-Töchter. |
| Fiſchbach - - - | 1 Einſchichtiges. |
| Kützenau - - - | 1 Mutter-Gut. |
| Lauffenholtz - - | 1 Einſchichtiges. |
| Mayach - - - - | 1 Mutter-Gut.<br>4 Zeidel-Töchter. |
| Moßbach - - - - | 3 Einſchichtige<br>2 Zeidel-Töchter. |
| Netzſtal - - - | 1 Einſchichtiges. |
| Pirnthon - - - | 1 Mutter-Gut. |
| Rötenbach bey St. Wolfgang - - | 1 Mutter-Gut.<br>2 Einſchichtige.<br>1 Zeidel-Töchter. |
| Rüblings-Hof - - | 1 Einſchichtiges. |
| Schwaig - - - - | 1 Mutter-Gut.<br>3 Einſchichtige. |
| Ungelſtetten - - - | 1 Mutter-Gut<br>1 Zeidel-Töchter. |
| Zabelshoff - - - | 1 Einſchichtiges Zeidel-Gut. |

### XXV.

*Etiam ex hiſtoria Butigliariorũ Norimbergenſium probari po-*

Quemadmodum uero totum hoc argumentum, quod hucusque pro uirili parte pertractauimus, ad illuſtrandas rerum Norimbergenſium antiquitates unice comparatum eſt; ita ad extremum, praeter tot alia argumenta, nouam, eamque non obſcurã, rationem

inde

*teſt, tractū Norimbergenſem* immediate *Imperatori et Imperio fuiſſe ſubiectum.*

inde colligimus, tractum Norimbergenſem utique et tunc quoque, cum *Butigliarii* Norimbergenſes floruerunt, fuiſſe ſoli Imperatori et Imperio, nullo alio intermedio, ſubiectum, neque ad alicuius Ducis, aut Principis, Comitisue, dominium aut territorium proprium pertinuiſſe. Hoc enim ſi fuiſſet, quomodo fieri potuiſſet, ut hic *Butigliarius*, (haud ſecus ac tot ceteri Imperatoris *Officiales*,) ab Imperatore unice dependiſſet, et huius nomine res certas curaſſet, et tam inſignia iura in territorio Norico exercuiſſet, neque ulli alii, niſi Imperatori, officii ſui reddidiſſet rationes? Adhaec, qua ratione fieri potuiſſet, ut ibi *iudicium mellicidii* ſolius Imperatoris et Imperii auctoritate conſtitutum celebratumque fuiſſet, et *Zeidelarii* ab aliorum iurisdictione, (ſi *hypothecae* rationem excipias,) fuiſſent exemti, neque aliis, niſi Imperatori et Imperio, ſua iura in acceptis tuliſſent, et, pro more *uaſallorum*, officia ſua iis unice praeſtitiſſent? Ac denique, quomodo fieri potuiſſet, ut de his omnibus aeque, ac de ipſis praediis *Zeidelariorum*, tam libere diſpoſuiſſent, totque alios *officiales* moderandis rebus tractus Norimbergenſis praefeciſſent Imperatores? Iam autem uere Regium et Imperialem ſtatum arguit, ubi omnes potiores iudices alicuius prouinciae a Rege et Imperatore ipſo ſunt conſtituti. Quaenam uero fuerit terrarum *Regii iuris* conditio, generatim indicauit Ekkehardus Iunior, *de Caſibus Monaſterii S. Galli Cap. I.* (97) *Nondum adhuc*, inquit, *illo tempore* (nempe aetate Arnolphi, Ludouici IV, et Conradi I,) *Sueuia in Ducatum erat redacta, ſed* FISCO REGIO PECVLIARITER PAREBAT, *ſicut hodie* (Henrici IV, Imperatoris, aeuo) *et Francia* (orientalis.) *Procurabant ambas, Camerae, quos ſic uocabant, nuncii: Franciam ad Alpes, tum Werinhere; Sueuiam autem Bertholt et Erchinger, fratres; quorum utrorumque multa ditioni ſubtracta ſunt per munificentias Regias in utroſque Epiſcopos.* Bene Goldaſtus ad hunc locum

(97) Inter Goldaſti Scriptores rerum Allemanicarum, T. I, p. 15.

locum obſeruauit, iſtos *nuncios Camerae*, quos nominat Ekkehardus Iunior, fuiſſe Praeſides prouinciae, qui alio tempore et alibi etiam *Aduocati Imperiales* (Reichs-Land-Voigte) ſint appellati. Quemadmodum uero hi praefuerunt toti prouinciae alicui regiae et imperiali; ita ſingulis huiusmodi prouinciae Ciuitatibus peculiares adhuc *Aduocati*, aliique *officiales*, fuerunt additi. Neque clarius et communius indicium ſupereſſe puto prouinciarum iuris regii, quam illa *iudicia prouincialia Caeſarea*, qualia in Sueuia, et Franconia, et terra Rhenana, itemque in tractu Norico, necdum prorſus interiiſſe conſtat. Atque adeo haec ipſa quoque regio, quamuis neque amplitudine, neque potentia, par fuerit Sueuiae atque Franconiae, ad eundem tamen fere modum recta fuit atque gubernata. Quam regionem non nulli quidem ad Franconiam; alii ad Sueuiam; alii denique ad Bauariam, retulere: cum ipſa potius peculiarem et ab illis omnibus diſtinctam conſtituerit prouinciam, quam quidem alii ueteri *Nordgoae*, ſeu *Nordogonne*, attribuunt; (98) alii uero uelut a primaria ſede, nempe a *Caſtro Norico*, *ſiue Norimbergenſi*, terram *Aduocatiae Norimbergenſis* uocant; quia potiſſimum in *Caſtro Norico* ſederunt *Aduocati Imperiales* (die Reichs-Land-Voigte;) quibus tutela totius prouinciae et *Aduocatiae prouincialis* erat commiſſa. Quae prouincia quam late et quousque patuerit, edocet quodammodo uetuſtus *libellus Salicus*, cuius iam ſupra meminimus. (99) Ibi uero, inter bona imperialia cum caſtro Norico coniuncta, et ſita in prouincia Nordgouienſi, (in der Reichs-



(98) Vid. Chriſt. Franc. Paullini *Comment. de Pagis antiquae Germaniae*, p. 155; item, Chriſtiani Iunckeri Einleitung zur Geographie der mittlern Zeiten/ p. 263. Id uero obſeruandum, limites huius prouinciae, ut aliarum, pro diuerſitate temporum, aliquando latius ſtrictiusue fuiſſe circumſcriptos.

(99) Exhibetur in *Copia* etlicher Brieflicher Urkunden in Sachen Nürnberg ꝛc. producr. Spirae, 8 Iun. A. 1585. Huius libelli ſummam etiam recenſet B. Wagenſeilius de *Ciuitate Norimbergenſi*, p. 352.

Land-Vogtey um Nürnberg) ſequentia recenſentur: das Amt Aldorff / Schwabach / Heroltsberg / Berngaw / die Vogtey zu Herspruck / der Marckt zu Velden ſamt 5 Dörffern und 20 Höfe / die Wälde um Nürnberg / Pruck / Blozze / Parckſtein / die Weyde und Luge / ꝛc. das Eger-land / welches der Künig in Böhmen innen hat / die Stat zu Weißenburg / Nördlingen / Dinckelspühel / Popfingen / Ufkirchen / Horburg / die Vogtey zu Amberg / Fronberg und Hannbach / zwey Valtze / Helmreichsberge / Aurbach / Schwebiſch-Werde / Gredingen / der Wald zu Buchach / die Vogtey zu Caſtell / die Burgk zu Liechtenekke / Adeln-burg / die der Burggrave inne hat; Pettenhofen / Sniglin-gen / Schnepfenreuth / Lenckersheim / Erelbach / Erindorff / Wendelſtain / Wotzelndorff / Herppersdorff / Heroltsberge / Eckkenhaide / Guntersreuth / Honungs / Schuppfe / Ru-prechtſtegen / Leutenbach ꝛc. Quamuis uero huiusmodi Ciuitates et cetera loca generali quadam ratione per *Aduocatum Imperii prouincialem* inter ſe connecterentur; iis tamen etiam, pro conditione cuiusuis loci, ſuos peculiares *Aduocatos*, et Iudices, aliosque fuiſſe Magiſtratus, ex manifeſtis ueterum teſtimoniis colligimus. Haec adeo tota prouincia Imperialis complexa quoque eſt tractum Norimbergenſem ſpecialiter et ſtricte ſic dictum, et cum ipſa Ciuitate Norimbergenſi propius coniunctum; quem, uti ſupra iam indicaui, fluuii tres, Sueuus nempe, Niger, et Regneſus, terminis circumſcribunt. Poſteaquam uero rationes regiminis Imperii Romani ſucceſſu temporis non parum ſunt immutatae; tantum abeſt, ut uel *Aduocatiae prouincialis*, uel *Burggrauiae*, aliusque officii imperialis nomine, haec integra, eaque latius dicta prouincia, in unius principatus territorium fuerit tranſcripta; ut potius inde quaedam Ciuitates cum territorio ſuo in pleniorem Imperii libertatem ſint aſſertae; cum ſimiliter, ac aliae Imperii terrae, ab adminiſtratione officialium Imperialium liberae immunesque euaſe-

euaſerint; quaedam uero loca certis *Principatibus Ducatibusque* adſcripta fuerint atque ſubiecta. In quem uero ſtatum conditionemque cum res Ciuitatum Imperialium aeque, ac ceterorum Imperii Ordinum, peruenerint; hic ipſe rerum ordo, tot ſanctiſſimis Imperii legibus, *ſanctionibusque pragmaticis*, ſtabilitus confirmatusque (100) perpetuo ſartus tectusque perſtabit, dum almae Iuſtitiae in hoc ſacratiſſimo Imperio ſuus honor, et ſua conſtabit auctoritas. Verum, in his nunc acquieſcimus, et ad extremum optimae PATRIAE, eiusque PATRIBVS BENIGNISSIMIS, tanto magis florem perpetuum et omne felicitatis genus omni pietate apprecamur; quanto ibi ſanctius adminiſtratur iuſtitia, pulchrius ornantur uirtutum bonarumque artium ſtudia, et in uniuerſum ſalutis publicae cura felicius floreſcit!

(100) Sic, in *Inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis*, *Artic. VIII*, haec diſertis uerbis conſtitura leguntur: *Liberis Imperii Ciuitatibus non minus, quam ceteris Statibus Imperii, competat uotum deciſiuum, iisque rata maneant regalia, uectigalia, reditus annui, libertates, priuilegia confiſcandi, collectandi, et inde dependentia, aliaque iura ab Imperatore et Imperio legitime impetrata, uel longo uſu ante hos motus obtenta, poſſeſſa, et exercita, cum omnimoda iurisdictione, intra muros et in territorio.* Conferantur etiam Auguſtiſſ. IMPERATORVM Capitulationes, ſigillatim LEOPOLDINA, *Artic. III.* IOSEPHINA, *Artic. III*, et CAROLINA, *Artic. I.*

# MANTISSA DOCVMENTORVM,

quae ad hiſtoriam BVTIGVLARIORVM, item et *Zeidelariorum* atque *Foreſtariorum Norimbergenſium*, magis illuſtrandam facere poſſunt.

## DOCVMENTVM I.

### CONRADI IIII, Regis Romanorum, Diploma, quo Eccleſiam Ebracenſem Ordinis Ciſtercienſis, et praedium Schvvobacenſe, anno CIↃ CCXL, in ſuam et Imperii tutelam recepit.

ex Gaſp. Bruſchii *Chronologia Monaſteriorum* Germaniae, *p.* 150; item ex Priuilegiis Imperatorum et Regum *Abbatiae Ebracenſi* conceſſis, *n.* 49, *p.* 73 et ex Mart. Magero a Schoenberg, de *Aduocatia armata*, *cap. V*, *n.* 436, p. 159.

*IN nomine ſanctae et indiuiduae Trinitatis. CONRADVS, Diui Auguſti Imperatoris, FRIDERICI, Filius, DEI gratia Romanorum in Regem electus, ſemper Auguſtus, et Haeres Regni Hieruſalem. Regalis excellentia tunc praecipue ſui nominis titulos ampliat, et extollit, cum loca Diuino cultui mancipata, et perſonas in eisdem Domino famulantes, pia mentis affectione in ſuis fouet iuribus, et eorum ſupplicationibus fauorabiliter ſe inclinat: Hac ſiquidem ratione ad modernorum et futurorum plenam notitiam peruenire cupimus et protendi: Quod Nos ad ſupplicationem Alhardi, Venerabilis Abbatis de Eberavv, ſuique Conuentus, Ciſtercienſis ordinis, fidelium noſtrorum, ſalubriter, ad imitationem Diuorum Progenitorum noſtrorum, ipſam Eccleſiam Ebracenſem, cum perſonis et omnibus bonis ſuis, et ſpecialiter cum praedio de* Schwobach *cum attinente ſibi Parochia eiusque pertinentiis, ſub noſtrae et Imperii protectionis praeſidio aſſumpſimus, ſpeciali authoritate paterna, et noſtra, qua fungimur, firmiter ſtatuentes, ut, ſicut ordo Ciſtercienſis, ab omni Aduocatorum genere, iuxta primariam inſtitutionem ſuam, ſemper liber extitit & immunis, ſic*

*ſic deinceps eadem Eccleſia, excepto ſolo Romanorum Imperatore, nulli prorſus Aduocatorum, niſi cui voluntarie ſe ſubiecerit, ita quod uelle ſuum poſtea ualeat immutare, per praedia et poſſeſſiones ſuas, aliquatenus ſit ſubiecta. Quocirca mandamus per obtentum gratiae Domini et Patris noſtri, Romanorum Imperatoris, Friderici ſecundi, et noſtrae, praecipientes firmiter et diſtricte, ut nulla ſit perſona humilis uel alta, Eccleſiaſtica uel mundana, quae praedictum Monaſterium, et perſonas in eo Domino famulantes, ſuper praemiſſo praedio in* Schwobach *et Eccleſia praenotata cum ſuis pertinentiis, praeſumat uel audeat contra praeſentem noſtram gratiam moleſtare. Quod qui praeſumpſerit, indignationem noſtram et Imperii ſe nouerit incurriſſe. Huius rei teſtes ſunt, Hermannus Herbipolenſis, Fridericus Eyſtettenſis, Landolphus VVormacenſis, Epiſcopi; Henricus, Landgrauius Thuringiae, Gebehardus de Arnſtein, Gotefridus de Hohenloh, Craffto de Bogksberg, Conradus Pincerna de VVinterſteten, Conradus de Sunnfeld,* MARQVARDVS BVTIGVLARIVS DE NVRNBERGA, *Conradus Notarius, et alii quam plures. Acta, Anno Dominicae incarnationis M. CC. XL. menſe Nouemb. quartae decimae Indictionis. Data apud Nornberg, menſe et Indictione praeſcriptis. Feliciter.*

## DOCVM. II.

### FRIDERICI II, Imperatoris, Diploma, quo Ramungum de Cammerſtein, et Marquardum Butigularium de Nurnberg, anno CIↃ CC XLIII, conſtituit procuratores, qui bona quaedam alienata reuocarent ad Eccleſiam Bambergenſem.

*Ex Archiuo Splendidiſſ. Regiminis Bambergenſis.*

FRIDERICVS, *Dei Gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem, et Siciliae Rex. uniuerſis praeſentes literas inſpecturis, fidelibus ſuis, gratiam ſuam, et omne bonum. Notum ſit uniuerſitati ueſtrae, quod nos Ramungum de*

*Kammerſtein*, *et* BVTIGLARIVM DE NVRENBERC, *fideles noſtros, conſtituimus procuratores, ad reuocandum in poteſtatem et dominium Henrici Venerabilis Babenbergenſis Electi, Dilecti Principis noſtri, et Eccleſiae eiusdem, omnia, quae per Bopponem dictum quondam Babenbergenſem Electum, a tempore transgreſſionis ſuae, ab anno uidelicet Dominicae Incarnationis Milleſimo Ducenteſimo, Triceſimo nono, Menſe octobri, tertiae decimae Indictionis, infeudata, alienata, donata, uendita, obligata, diſtracta, et ſubtracta, in eiusdem Eccleſiae praeiudicium et inaeſtimabilem laeſionem, ſicut in ſcripta lata ſententia, quam deferunt, plenius continetur. Quare mandamus et praecipimus fidelitati ueſtrae, quatenus, ad requiſitionem ipſorum procuratorum, ea, quae a praedicto Boppone, quondam Electo, a ſupradicto tempore uobis conceſſa noſcuntur, in poteſtatem et dominium dicti Heinrici Electi, et Eccleſiae, reſignetis. cum et nos ea, quae conceſſa fuerunt, de bonis quondam Comitis de Bogen, ad Eccleſiam ipſam ſpectantibus, quae praedictum Bopponem quondam electum, poſt transgreſſionem ſuam, a dilecto filio noſtro, Rege Conrado, dicitur fuiſſe ſuſcepta, reſignauerimus in eiusdem Heinrici Electi poteſtatem, glorioſum reputantes, legi editae ſubiacere; nolentes indigne tenere, quae collata erant per temerarium transgreſſorem. Ad cuius rei memoriam, praeſens ſcriptum fieri et Maieſtatis noſtrae ſigillo iuſſimus communiri. Datum in Caſtris prope Auczanum in Celano. anno Dominicae Incarnationis* M CC XLII. *Menſe Junii, quintae decimae Indictionis.*

## DOCVM. III.

## Formula donationis Henrici et Mechtildis de Noua curia (von Neuhoff) Monialibus Diuae Mariae Magdalenae Norimbergae A. cIↃ cc xxxxvi factae.

I*N nomine ſancte et indiuidue Trinitatis. Cum eccleſias Dei honorare et religioſorum utilitatibus conſulere, aliud non ſit,*

*quam Theſauros in coelo collocare, felix eſt procul dubio, quam Dominus noſter, cum uenerit, in tam uigili ſtudio inuenerit uigilantem. Nouerint igitur preſentes, et poſteris innoteſcat, principem palacii ſempiterni ex habundanti fecunditate boninitatis ſue, ad hoc mentes noſtras firmiter illuſtraſſe, quod ego Heinricus de Noua curia et Mecthildis mea benigniſſima contectalis, de conſenſu et fauore fratris ſui, Domini Marquardi de Grünſpach, pratum apud uillam ſitum ſuperius prenotatam, pro animarum noſtrarum remedio et ſalute contulimus Eccleſie ordinis ſancte Marie Magdalene in Nurnberc, et ſororibus inibi, Deo perpetuo famulaturis, poſt deceſſum noſtrum, absque omni perturbacione et contradictione, libere et quiete iure proprietatis in perpetuum poſſidendum. Vt autem hec noſtra ſolempnis donacio omni euo ſtabilis et inconuulſa permaneat, teſtes introducantur attentius ſubnotati, uidelicet, Marquardus de Grunſpach, qui etiam huius noſtre donacionis ſe caput et auctorem conſtituit principalem, et Dominus Aduocatus de Dornberc, Ulricus de Richeneke, Albertus de Ruggerſtorff, Henricus de Monte, Bruno filius Reimari, Eberhardus Scultetus, Bertholdus Scuteloch, et alii quam plures capitis Imperii fideliſſimi Burgenſes. Acta ſunt hec in Nurnberc, anno dominice incarnationis M: CC: XLVI. in preſencia Domini* LVIPOLDI IMPERATORIE MAIESTATIS BVTTIGELARII, *atque Domini Chunradi tunc temporis Sculteti, quorum etiam Sigillis preſens Scriptum eſt fideliter roboratum.*

## DOCVM. IIII.

## Diploma, quo Ludouicus, Comes Palat. Rheni, tempore interregni, Conrado VValdſtromero Praefecturam ſiluae Norimbergenſis confirmauit.

NOs *Ludouicus, Dei gracia Comes Palatinus Reni, Dux Bauarie, tenore preſentium proteſtamur: Quod nos, conſideratis fidelibus et deuotis ſeruitiis, que Conradus Stromeir nobis*

*nobis exhibuit, et exhibet inceſſanter, eidem et heredibus ſuis* Foreſtum in Nuremberg, *in eo iure, quo Henricus et Gramliebus, fratres ſui, et ipſe, usque in hec tempora tenuerunt, omni tempore gubernandum commiſimus et regendum. In cuius rei euidentiam preſentem literam ſigillo noſtre celſitudinis iuſſimus communiri. Teſtes huius rei ſunt:* FRIDERICVS, BVRGGRAVIVS DE NVREMBERG; *Albertus Praepoſitus Illmunſtrenſis; Hermannus, de Hornheim, Albertus Luzmannus*, VVINHARDVS DE REOBACH, BVTTIGLIARIVS DE NVREMBERG, *Vlricus de Thannenberg, Henricus de Lapide, Henricus filius eius, et alii quam plures. Datum Nuremberg. A. D.* 1266. *XVII. Cal. Nov.*

## DOCVM. V.

## RVDOLPHI I. Imperatoris Diploma, quo ſe a Monaſterio Ebracenſi, anno CIↃCCLXXXI, *Praedium Schvvobacenſe* emiſſe profitetur.

*Ex priuilegiis Imperatorum et Regum eidem monaſterio conceſſis, p. 8. n. 51.*

NOs *RVDOLPHVS, DEI gratia Romanorum Rex ſemper Auguſtus. Ad uniuerſorum notitiam tenore praeſentium uolumus peruenire, quod Nos a religioſis Viris, Abbate et Conuentu Eberacenſi, Ciſtercienſis ordinis, Herbipolenſis Dioeceſis, omnia bona, homines et iura, quae idem Abbas et Conuentus in Praedio* Schwobach *habent, uel poſſident, exceptis Eccleſia Parochiali cum dotibus ſuis et decimis maioribus et minutis, ac ipſorum Curia, quam inhabitant, cum ſuis attinentiis uniuerſis, quae omnia ſibi dicti Abbas et Conuentus reſeruant, emimus, ſiue comparauimus, pro ſeptingentis et quinquaginta libris Hallenſibus; quarum medietatem memoratis Abbati et Conuentui perſoluemus, in feſto beati Martini proximo; reliquam uero medietatem in feſto Purificationis B. Virginis Mariae continuo ſubſequente. Pro ſolutione autem huiusmodi praedictis Abbati et Conuentui in eisdem*

*dem terminis facienda, Nos ipſis Nobiles Viros*, I. BVRGGRAVIVM DE NVRNBERG, *H. Comitem de Fürſtenberg*, *W. Aduocatum de Dornberg*, *Herdegen de Grindela*, O. BVTTIGLIARIVM DE NVRNBERG, *et* BERTHOLDVM SCVLTETVM DE NVRNBERG, *noſtros conſtituimus fideiuſſores*, *qui*, *ſi ſolutio facta non fuerit*, *in terminis praenotatis*, *apud Nurnbergam ſe perſonaliter recipient*, *deinde nullatenus receſſuri*, *niſi prius praedicta pecunia plenarie fuerit perſoluta. Eſt etiam in eadem emtione adiectum*, *quod praefati Abbas et Conuentus ligna ipſis pro ſupra dictis Curia et dotibus aedificandis*, *nec non pro igne quotidiano neceſſaria libere poſſint et debeant*, *ſine cuiuslibet contradictione*, *recipere et educere de nemoribus attinentibus praedio ſupradicto. Huius rei teſtes ſunt: Honorabiles*, *Mag. Got. Praepoſitus Pat. Prothonotarius noſter*, *Magiſter Wihelo; Nobiles Viri*, *C. de Kazenelenbog*, *H. de Caſtele*, *et L. de Oetting Comites*, *Got. de Hohenloh*, *et alii quam plures. In cuius rei teſtimonium praeſens ſcriptum Maieſtatis noſtrae ſigillo iuſſimus communiri. Datum Nürnberg*, *XIII Calend. Septembris*, *Indictione nona*, *Anno Domini M. CC. octuageſimo primo*, *Regni uero noſtri anno octauo.*

## DOCVM. VI.

### Literae Cunradi, Militis de Curnburg, quondam Butiglarii Norimbergenſis, quibus Parentis ſui donationem, Fratribus Minoribus factam, A. CIↃ CCLXXXVIII confirmauit.

E*Go* CVNRADVS MILES DE CVRNBVRCH, QVONDAM BVTTIGLARIVS IN NVRMBERG, *conſtare cupio Vniuerſis*, *preſentes litteras inſpecturis*, *Quod ego*, *ſicut ueraciter ſcio et noui*, *preſentibus profiteor*, *et proteſtor mea fide*, *nomine Iuramenti*, *patrem meum*, *beate memorie*, CVNRADVM ECIAM QVONDAM BVTTIGLARIVM IN NVRMBERG, *dediſſe fratribus Minoribus ibidem*, *de ſuis bonis propriis*, *ſine contradi-*

 *ctione*

*ctione qualibet, uiam et ſemitam tranſeuntes infra Iudeos, et ſtupam balnearem usque ad aquam fluentem, ſcilicet Paganciam,* (Pegneſum) *in ſubleuamen et ſubſidium Domus ſue, et ut honor et cultus Dei poſſet melius frequentari. In cuius facti euidenciam preſentes literas conſcribi feci, et cum ſubſcriptis teſtibus, uidelicet Ottone de Dietenhofen, Vlrico et Cunrado de Kudorff, Militibus, Cunrado Pfinzing, Wolframo Saxone, Cunrado de Rote, Ciuibus Nurmbergenſibus, Magiſtro Eberhardo, Ottone foreſtario, et aliis pluribus fide dignis, Sigilli uenerabilis Domini Malachie Abbatis Monaſterii Sancti Egidii in Nurmberg et mei munimine roborari. Nos uero Malachias, Dei permiſſione Abbas Monaſterii Sācti Egidii in Nurmberg, ordinis Sācti Benedicti, Babenbergenſis Dioceſios predictus, recognoſcimus, nos ad petitiones prelibatorum fratrum minorum, et* Cunradi Buttigliarii *prenotati, noſtrum Sigillum hijs appendiſſe literis. Datum Nurmb. A. Dni. M.CCLXXXVIII. pridie Nonas Iunii.*

## DOCVM. VII.

### RVDOLPHI I, Imp. Diploma, quo A. CIƆCCLXXXIX, Ottoni Colero, *Forſtmeiſter* cognominato, contulit praefecturam ſiluae Norimbergenſis.

*NOs RVDOLFVS, Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, uniuerſis ſacri Romani Imperii fidelibus preſentes inſpecturis graciam ſuam et omne bonum. Nouerint uniuerſi preſencium inſpectores, quod officium foreſti noſtri in Nuremberg contulimus Ottoni, dicto Forſtmeiſter, fideli noſtro dilecto, ac omnibus ſuis heredibus talium feudorum capacibus, cum noualibus ſuis, ad ipſum ex ſucceſſione progenitorum ſuorum hucusque deuolutis, a nobis et Imperio deinceps in feudum poſſidendum: Ita quod ipſe Otto praefatus una cum ſeruis ſuis ſibi ad regimen eiusdem officii neceſſariis ſiluam praenotatam*

*tam foueat, et omni loco impignoret, ubi eandem ſiluam ſucciſam indebite uiderit aut nociue. Nulli etiam ſine ſui demonſtratione pro ſtructura aliqua ſiluam ſuccidere liceat antedictam: nec coram aliquo Iudicum, niſi coram* BVTTIGLIARIO NOSTRO APVD NVREMBERG, *qui tunc pro tempore fuerit, iuſtitiam obſeruabit. In cuius rei teſtimonium hanc literam ſibi fieri uolumus, ſigillo noſtrae Maieſtatis ſtrictius roboratam. Datum apud Weiſſenburg, VIII Kalend. Nouembris, Indictione tertia, anno Domini M. CC. LXXX. nono, Regni uero noſtri anno XVII.*

## DOCVM. VIII.

### ALBERTI I, Imp. Diploma, quo A. cIↃ CCXCVIII Ottoni Colero praefecturam ſiluae eodem modo detulit.

*NOs ALBERTVS, Dei gracia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, ad uniuerſorum ſacri Romani Imperii fidelium noticiam cupimus peruenire: Quod nos officium Foreſti noſtri in Nuremberg contulimus Ottoni, dicto Forſtmeiſter, fideli noſtro dilecto, ac omnibus ſuis heredibus talium feudorum capacibus, cum noualibus ſuis, ad ipſum ex ſucceſſione progenitorum ſuorum hucusque deuolutis, a nobis et ab imperio deinceps in feudo poſſidendum: Ita quod ipſe Otto praefatus, una cum ſeruis ſibi ad regimen eiusdem officii neceſſariis, ſyluam praenotatam foueat, et in omni loco impignoret, ubi eandem ſyluam ſucciſam indebite uiderit, aut nociue. Nulli etiam ſine ſui demonſtratione pro ſtructura aliqua ſyluam ſuccidere liceat antedictam, nec coram aliquo iudicum, niſi coram* BVTIGLIARIO NOSTRO APVD NVRNBERG, *qui tunc pro tempore fuerit, iuſtitiam obſeruabit. In cuius rei teſtimonium hanc literam ſibi fieri uoluimus, ſigillo noſtrae Maieſtatis ſtrictius roboratam. Datum in Hailsprunne, V Non.*

*Octobris, anno Domini M. CC. nonageſimo octauo, Indictione XII, Regni uero noſtri anno primo.*

## DOCVM. VIIII.

## Diplom. eiusdem argumenti Henrici VII, et Caroli IV, Imperatorum.

Conf. Goldaſt. *Conſtit. Imperial. T. I, p. 318.*

NOS CAROLVS, *Dei gracia Romanorum Rex ſemper auguſtus, et Bohemiae Rex, prouido uiro, Ottoni Colery, dicto* Forſtmeiſter / *ciui Nurembergenſi, fideli noſtro, gratiam Regiam et omne bonum. Bene merita fidelitatis tuae, quibus nobis ac noſtris praedeceſſoribus, Imperatoribus et Regibus diuae memoriae, complacere hactenus ſtuduiſti, et quibus nobis in futurum placere poteris et debebis, nos inducunt, ut uotiuis tuis petitionibus gratioſius annuamus. Sane oblata nobis tua peticio continebat, ut tibi quasdam literas Sereniſſimi Heinrici, quondam Romanorum Regis, aui noſtri cariſſimi, diuae memoriae, datas et conceſſas, de benignitate ſolita ratificare et confirmare dignaremur; Quarum literarum tenor ſequitur in haec uerba:*

*Nos* HEINRICVS, *Dei gracia Romanorum Rex ſemper auguſtus, ad uniuerſorum Sacri Romani Imperii fidelium notitiam cupimus peruenire, quod nos officium Foreſti noſtri in Nuremberg contulimus Ottoni Colery, dicto* Vorſtmeiſter / *fideli noſtro dilecto, ac omnibus ſuis heredibus talium feudorum capacibus, ab Imperio deinceps in feudum poſſidendum: Ita quod ipſe Otto praefatus una cum ſeruis ſuis ſibi ad regimen eiusdem officii neceſſariis ſiluam praenotatam foueat, et in omni loco impignoret, ubi eandem ſiluam ſucciſam indebite uiderit, aut nociue. Nulli etiam ſine ſui demonſtracione pro ſtructura aliqua ſiluam ſuccidere liceat antedictam: nec coram aliquo Iudicum, niſi coram* BVTTIGLARIO NOSTRO APVD NVREMBERG, *qui tunc pro tempore fuerit, iuſtitiam obſeruabit. In cuius rei teſtimonium hanc literam ſibi fieri uolumus,*

*ſigillo*

*ſigillo noſtrae Maieſtatis ſtrictius roboratam. Datum in Nuremberg, IIII Kal. Iulii, anno Domini milleſimo trecenteſimo nono, Regni uero noſtri anno primo.*

*Nos uero tuis ſupplicacionibus nobis in hac parte porrectis fauorabiliter inclinati praedictas literas, prout de uerbo ad uerbum praeſentibus ſunt inſertae, de ſpeciali noſtrae celſitudinis gratia approbamus, ratificamus, et de certa noſtra ſcientia tibi et tuis heredibus praeſentibus confirmamus. Nulli ergo omnino homini liceat hanc noſtrae approbacionis, ratificacionis et confirmacionis gratiam infringere, uel ei auſu aliquo temerario contrauenire. Si quis autem hoc attentare praeſumpſerit, indignacionem et pœnas grauiſſimas pro motu regio infligendas ſe nouerit incurſurum, praeſentium ſub noſtrae Maieſtatis ſigillo teſtimonio literarum. Datum Nuremberg, anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo, Iubileo, Indictione tertia, Idus Aprilis. Regnorum noſtrorum anno quarto.*

## DOCVM. X.

## Literae Rudigeri de Brand, Iudicis prouincialis Caeſarei, A. cIↃ CC XCVI, et Henrici de Berg, itidem Iudicis prouincialis Caeſarei, A. cIↃ CCC LIII, quibus indicatur, *Magiſtrum Mellicidarum* ſubeſſe iudicio *Butigularii Norimbergenſis.*

Ich Heinrich von Berg/ Lantrichter zu Nürenberg/ Tun kunt an dieſem Brief. Daz für mich kame in Gericht Heinrich Zeydelmeiſter von Feucht, und weiſet einen Brief mit des Landgerichtz anhangendem Inſigel, der von Wort zu Wort geſchriben ſtünd alſo:

Ich Rudiger vom Brant der Landrichter zu Nüremberg/ Tun kunt allen den dy diſen Brief leſen horen oder ſehen, daz für mich kame in Gericht Hilteprand der Zeidelmeiſter von Feucht, vnd gert zervaren an einer vrteyl Im vnd den Zeidlern, ſwer hintz In icht zuſprechen het, wo der das durch recht vordern ſolt: do ward vmb gefragt vnd erteilt, ſwer hintz dem Zeidelmeiſter ſelb icht zu ſprechen hett, der ſolt das vordern vor einem Butigler ze Nuremberg, ſwer aber hintz

den Zeidler eine vnd die er durch recht verſprechen ſol icht zu clagen hett/ der ſolt das vordern vor einen Zeidelmeiſter vnd anders nyndert/ verzug aber der Zeidelmeiſter ymant das recht/ ſo ſolt er clagen wo er wolt/ do Im die vrteyl geviel. Do gert er zuerfaren an einer vrteyl/ ob man Im der rede wol pillich einen Brief geben ſolt. das ward Im auch erteilt/ vnd daz der vrteyl vnd des rechtens icht vergeſſen werde/ darumb hat man geben dieſen Brif verſigelt vnd geveſtent mit des Lantgerichtz Inſigel daz daran hanget. Daruber ſeind gezeug Herr Vlrich von Kudorff Ritter/ Herr Conrat der Dachſtetter/ Herr Berchtolt Pfinzing/ der alt Schultheiß/ Heinrich der Koler/ Herr Leupolt der Holzſchuher/ Wernher der Grundherr/ Conrat der Lantſchr. die alle urteil ſprachen/ vnd ander gezeug. Der Brief ward geben/ do man zalt von Criſtus gepurt zwelfhundert Jare vnd in dem Sechs vnd newnzigiſten Jare/ an dem Eritag vor ſant Gilgen tag/ vnd was das Lantgericht zu der Steinprucke!

Und do diſer Brief alſo vor mir in gericht geleſen vnd verhoret warde / do lautmert der vorgenannt Heinrich Zeidelmeiſter mit furſprechen / Es wer dieſer Brief von alters wegen an bermet vnd an wachs als kranck worden / daz er vorcht/ er mocht davon vergan/ vnd was auch auß dem Inſigel daz daran hing ein ſtuck von alters wegen gevallen. Vnd da der Brief von mann zu mann geſehen vnd verſucht ward / do bat der obgenant Heinr. Zeidelmeiſter zefragen ein vrteyl/ ob man denſelben Brief wol mit einen andern Brief vernewen ſolt / vnd ob er wol pillich furbas krafft vnd macht haben ſolt/ ſeintdemaln daz das ſtuck auß dem Brief ongeverde gevallen were. darumb warde gefragt/ vnd auf den aid erteilt von mann zu mann/ getorſt der egenant Heinrich Zeidelmeiſter mit ſeiner aide beherten zu den Heiligen/ daz das ſtuck an demſelben Inſigel vngeverlich herauß kommen were/ vnd wann die zwey ſtuck des Inſigels oder mer ganz von pliben/ daran eigentlich den Helm/ den Schilt/ vnd die puchſtaben ſah vnd leſen mocht/ die alſo ſprachen: Sigillum Friderici Burgrauii. ſo ſolt man denſelben Brief wol pillich von wort zu wort verſchreiben/ beſtetten vnd auch vernewen mit des Lantgericht Inſigel. vnd alſo behub der offtgenannt Heinr. Zeidelmeiſter mit ſeinen aide/ als Im erteilt ward/ daz daſſelb ſtuck on geverde herauß gevallen were. mit vrkunde ditz Briefs/ der mit vrteil geben iſt vnder des Lantgerichts Inſigel/ an dem Diuſtag nach ſant Eraſmen Tag/ nach Gotes geburt drewtzehenhundert Jare vnd in dem drew vnd funfftzigiſten Jare.

DOCVM.

## DOCVM. XI.

## Lvdovici Bauari, Imperatoris, Conſtitutio de Praefectis ſiluae Norimbergenſis, et de *Foreſtariis* atque *Zeidelariis*, A. cIↃ ccc xxxi promulgata.

Vid. Lunigii Reichs-*Archiu.* *Vol. XIIII*, *p.* 88.

Wier Ludwig von GOttes Gnaden / Römiſcher Kayſer / zu allen Zeiten Mehrer des Reichs / verſehen öffentlichen an dieſem Briefe / und thun kund allen den / die ihn ſehen oder hören leſen / daß wir angeſehen haben / den groſen gebreſten / den unſer liebe getreuwe / die Burger und die Stadt zu Nürmberg leident und gelitten haben / an den Forſte / und an Unſer und des Reichs Walde zu Nürmberg / und daß derſelbe Forſt und Wald / uns und dem Reich / und der Stadt / von ſolchen Sachen icht verwüſt werde / und zergehe / thuen wir und geben ihn die Geſetze / von unſern Kayſerlichen Gewalt / die hernach geſchrieben ſtehende. Des erſten / daß alle Amptleut / Forſter / und Zeidler / auf beeden Wälden / jedweder halb der Pegnitze / wan man die fordert / von des Raths wegen zu Nürmberg / alle Jar zu einemmal ſollen kommen auf den Rath / und zu den Heiligen ſchweren / zu behalten / was dieſelben Burger zu Rath werdent / das dem Reich und der Stadt gut und nütze ſey / und ſollen auch rügen bey demſelben Eyde / was demſelben Walde ſchädlich ſey. Es ſoll auch je ein Forſter auf ſeiner Forſthueb ſitzen / und nicht mehr / und ſoll nicht getheilt werden : und derſelb Forſter ſol auch pfenden in derſelben Forſthuebe / und anderſt mindert / und wer anderſt pfendet / dan der auf der Forſthueb ſitzet / das ſoll man für einen Raub halten. Es ſollen auch die Amptleut / die Forſter / und anderer ihre Diener / niemand verkauffen / noch erlauben / ein Holtz von beeden Wälden zu führen / dann die das von Alter genoſſen und Recht daran haben. Auch ſollen die oberſten Forſtmeiſter ſitzen / mit ihr ſelbſt Leibe zu Nürmberg in der Stadt: wollten ſie aber auſſerhalb der Stadt ſitzen / ſo ſollen ſie kein Recht haben an dem Wald / noch über die Forſter / unntz / daß ſie ſedelhafft werden in der Stadt. Es ſoll kein Amptmann / oder Forſter / über die Wälde / keinen ſein Hub / noch Recht / die ſie in den Wälden haben / nit verkauffen / keinem Edelmann / noch Ritter / wann es dem Reich und der Stadt ſchädlich an den Wälden iſt. Wie

auch

auch der Wald des Jars von den Burgern beſetzt würd / hielten das die Amptleute / Forſter / und Zeidler / oder wer zu dem Walde gehört / nicht ſtet / oder überführen das / und wollten ſein nicht gehorſam ſeyn / an welchen Articeln das wäre / die vorgeſchrieben / die ſoll ein Richter zu Nürmberg / und die Burger / von des Reichs wegen / ſtraffen an Leib und an Gut / nachdem und ſie dunckt / daß ſie verwürckt haben. Und darüber zu Urkund / geben wir ihn dieſen Briefe verſiegelt / mit unſerm Kaiſerlichen Inſigel / der geben iſt zu Nürnberg / an dem Sonntag Quaſimodogeniti, da man zalt von Chriſtus Geburt dreyzehenhundert Jare / und darnach in dem ein und dreißigſten Jare / in dem ſiebenzehenden Jare unſers Reichs / und in dem vierdten des Kaiſerthums.

## DOCVM. XII.

## Caroli IV, Imperatoris, priuilegium Zeidelariis Norimbergenſibus A. 1350 datum.

Vid. Lunigii Reichs-*Archiv. Vol. XIV, p.* 93.

Wir Karl / von GOttes Gnaden / Römiſcher König / zu allen Zeiten Mehrer des Reichs und König zu Böheim / verjehen öffentlich / und thun kunth mit dieſem Briefe / allen den / die ihn ſehen oder hören leſen / daß für unſer Königlich Gegenwärtigkeit kommen ſein / unſer lieb getreu / die Zeidler gemeiniglich / uff unſerm und des Reichs Walde bey Nürnberg gelegen / und haben uns gebetten und geflehet mit ganzem Fleiß / daß wir ihn alle ihre Rechte / die hernach geſchrieben ſtehen / die ſie von langer Zeit bißher gehabt haben / von den Zeidelguten / auff dem vorgenandten Walde bey Nürnberg / beſtettigen und confirmiren wolten / von beſondern unſern Königlichen Gnaden.

Des erſten / daß ſie in allen Stetten des Römiſchen Reichs ſollen Zolfrey ſein / und darnach kein Recht zu halten / dann vor ihren Zeidelmeiſter zu Feucht. Es ſeyen auch ihre Recht alſo / daß man alle Zeidelgut zimmern ſol / auß unſern und des Reichs Walde bey Nürnberg / und umb daßelbig Zimmer ſoll man Urlaub begeren und gewinnen umb den Waldſtromer und den Vorſtmeiſter / und die ſollen es erlauben umbſonſt / und in welches Vorſters Hut das Zimmer gehauen wird / dem ſoll man davon geben zwen Häller. Sie haben auch das Recht / daß ein jeglicher Zeidler alle Wochen ſoll füren

zwey

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id365356093/86
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

zwey Fuder Stöck und Rannen, aus des ehegenandten Reichs Walde, und mag das verkauffen, ob er will, und ihn ſoll niemand daran hindern noch irren. Es ſoll auch kein Zeidler kein Vorſtrecht geben. Es ſoll auch auf des ehegenannten Reichs Walde niemand kein Pin haben, denn allein geerbet Zeidler, ohn der Stromer, und der Vorſtmeiſter. Es iſt auch recht, daß ein jeglicher Zeidelmeiſter, der von des Reichs Gnaden zu Feucht ſitzt, ſoll ſetzen und entſetzen alle Zeidelgut, alſo, daß uns und dem Reich an ſeinen Guten nicht abgehe, und auch, daß das Reich ſeinen Dienſt auf denſelben Guten finde. Es iſt auch recht, welcher Zeidler Willen zu faren hat von dem Zeidelgut, derſelb ſoll geben dreyzehen Haller dem Zeidelmeiſter, und wär das, ob der Zeidelmeiſter dieſelben Haller verſchlüg, ſo mag der Zeidler von dem Gut faren, ob er will, und dieſelben Haller legen auf das überthür inn dem Hauſe, da er ausfert, und ſoll darnach faren, als ein Gerechter, und wer denn auf das Zeidelgut fert, der ſoll dem Zeidelmeiſter einen Schilling haller der kurtzen geben, und daran ſoll er ſich laſſen genügen. Es iſt auch recht, ob der belehnet Zeidelmeiſter von uns und dem Reich das Zeidelgericht nit beſitzen will, daß er einen andern Zeidelmeiſter an ſein ſtatt ſetzen ſoll nach der Zeidler Rath und nach ihrem Willen. Sie ſeyn auch ſchuldig von ihren geſchrieben Erben, auf den Zeidelguten, und von allen ihren vorgeſchrieben Rechten, die ſie von uns und dem Römiſchen Reich haben, zu dienen uns und dem Reiche, zwiſchen den vier Wälden, auf Gnade, und der Dienſt iſt alſo, daß ſie dienen ſollen mit ſechs Armbrüſten, und zu denſelben Armbrüſten ſoll man ihn geben Pfeil, was ſie ihr bedürfen. Es iſt auch ihr Recht, daß man ihn Wägen von Hof ſoll geben, und auch Koſte, und ob man des nicht enthett, ſo ſein ſie ires Dienſts ledig. Es ſollen auch alle verſagte Pin auf unſern und des Reichs Walde, gehören in deßelben unſers Reichs Pingarten, und wer ein Peuten niederheuet, der iſt ſchuldig dem Zeidelmeiſter zehen Pfund Haller und einen Haller. Und wer auch einen gewipfelten oder gemerckten Baum abhauet, der iſt ſchuldig dem Zeidelmeiſter ein Pfund Haller, und dem, des der Baum geweſt iſt, auch ein Pfund Haller. Es ſollen auch die Zeidler zwirnt in dem Jahr darumb rügen dem Zeidelmeiſter. Iſt aber, daß er ihn das nicht ausrichtet, ſo ſollen ſie es klagen unſerm und des Reichs Pfleger, und der ſoll es ausrichten, und auch die Puß darumb nehmen, als vorgeſchrieben ſtehet. Es iſt auch recht, auf

unſern und des Reichs Walde, bey Nürnberg gelegen, als ferre der Pinkreiß gereichet, daß niemand keinen Schwarm aufheben, noch ſich unterwinden ſoll, denn ein geerbter Zeidler, und ſoll auch jeder Zeidler von ſeinen Guten geben ſein Hönig-Geld uns und dem Reiche, als es von Alter an uns herkommen iſt, oder dem, der es von uns und dem Reich innen hat. Die Zeidler ſollen auch pfenden an Linden, und an Salhen, und an Spürckeln, umb ein Pfund Haller, und dieſelben Pfand ſoll man antworten dem Stromer, und der Stromer ſoll dann dem Zeidler davon einen Schilling Haller geben, dem, der ihm die Pfand antwortet. Es ſol auch jeder Zeidler hauen, was er zu den Peuten bedarf. Und ſoll auch jeder Vorſter Pin haben in ſeiner Hut, und nicht ferrer, und ſoll auch kein Vorſter ziehen, denn der Stromer und der Vorſtmeiſter. Es iſt auch ihr Recht, daß der Zeidelmeiſter inn unſern und des Reichs Dienſt ſoll verfahren, und ſoll In von Hof ihr Koſt fordern, und auch ihre Rechte, und um denſelben Dienſt iſt man dem Zeidelmeiſter ſchuldig ſeinen Weiß-Pfenning. Und was auch Todſchläg in dem Gericht geſchehen, das gehöret einem Landvogten an, oder dem, der es von uns, und von des Reichs wegen innen hat.

Das haben wir angeſehen, der vorgenanndten Zeidler getreuen ſteten Nutzen und Dienſt, den ſie uns und dem heiligen Römiſchen Reich offt gethan haben unverdroßenlich, und noch thun ſollen und mögen in künfftigen Zeiten. Und darumb beſtettigen und confirmiren wir ihn mit unſern Königlichen Gewalt, und von beſondern Gnaden, alle ihre vorgeſchriebene Recht und Gewohnheit, von Wort zu Wort, als ſie in dieſem Brieff geſchrieben und begriffen ſeyn, und wollen, daß dieſelben ihre Recht ſtet, gantz und unverbrochenlichen bleiben ſollen. Mit Urkund dis Briefs verſiegelt mit unſern Königlichen Inſiegel, der geben iſt zu Nürmberg, da man zahlt nach Chriſtus Geburt, dreyzehenhundert Jare, und darnach in dem fünfzigſten Jare, des nächſten Dienſttags nach GOttes heiligen Leichnams Tage, in dem vierten Jare unſrer Reiche.

DOCVM.

DOCVM. XIII.

## Caroli IV, Imper. Conſtitutio de Foreſtariis et Zeidelariis Norimbergenſibus, anno cIↃCCCLV, promulgata.

Vid. Goldaſt. *Conſtit. Imp.* T. I, p. 369; *ubi ſimul eiusdem Imperatoris confirmatio praecedentis Conſtitutionis, de A.* cIↃCCCLVIII, *exhibetur.*

